C 21 c 1

Digitized by Google

Paging 50.51.54.55.
58.59.62.63. [illegible]
wanting, [illegible] [illegible]

Digitized by Google

FRANCISCI MONTMORENCII


E SOCIETATE IESV

CANTICA ET IDYLLIA SACRA.

Acceſſerunt in hac poſtremâ editione

PSALMI XV.

modis expreſſi Lyricis.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXVIII.

Digitized by Google

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII.
PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

NONNVLLA è ſacris Litteris Cantica, quibus me ipſum in hac religioſâ quiete ad Dei laudes impenſiùs prouocarem, numeris pridem poëticis illigaueram, minùs tamen accuratè quàm vt illa aliquando ſub tanti Nominis auſpicijs euulgare cogitarem: cùm ecce mihi præter ſpem ab Vr-

be nuntiatur, exemplar meum ad manus SANCTITATIS TVAE deueniſſe. Caſum protinus in conſilium verti; & tam ſingulari benignitate (quando reculis meis aſpiciendis Maieſtatem Tuam inclinaſſe dicebaris) opportunè admoneri me ſenſi, vt Tibi, VRBANE PONTIFEX MAXIME, quidquid hoc libelli foret, ingenuâ grati animi ſignificatione nuncuparem. Quidni enim obnoxium Tibi amorem meum liceat ſine reuerentiæ diſpendio profiteri?

Ipſe metus Te noſter amat. ——

à naturâ quippe factus es totus, vt ameris; à Deo ſingulariter electus in rerum Arbitrum, vt adoreris: ſic humanitate tamen tem-

peras poteſtatem, vt Te pariter diligamus, pariter ſuſpiciamus vnum virorum, qui ruenti ſæculo noſtro EFFICACI LENITATE ſuccurreres, qui reſtitutas nunc demum Eccleſiæ corpori nobiliſſimas partes, inſpiratâ quaquauerſum concordiâ, Amor ipſe & mundi Mens ſapientiſſimè contineres. Iam vaſta Germaniæ, iam porrectos Æthiopum tractus, hæreſi paſſim aut ſchiſmate abiuratis, mite VRBANI VIII. ingenium agnoſcere, ſuaue Romanæ Eccleſiæ iugum induere poſtliminio lætamur; in ſpem felicium illorum temporum erecti, quibus vniuerſi quondam Occidentis Principes, agente potiſſimùm VRBANO II.

hoſtem Chriſtiani nominis communem communibus copijs Oriente toto profligarunt. Ratum faciat (cui proximus es) DEVS votum hoc meum, quod pedibus TVAE SANCTITATIS aduolutus non timidè concipio. Duaci Kalendis Ianuarijs, M. DC. XXIX.

Deuotus

SANCTITATI TVÆ

FRANCISCVS DE MONTMORENCY
è Societate IESV.

REVDO

REV^{DO} IN CHRISTO PATRI
P. FRANCISCO
DE MONTMORENCY
SOCIETATIS IESV

Anagramma.

FRANCISCVS DE MONTMORENCI
CONSTANS PER DOMINI CRVCEM.

Ode.

MONTMORENCIACÆ *domus,*
Primos Chriſtiadas quæ dedit inclytæ
Felici omine Galliæ,
Flos inſignis, amor Caſtalidum & decus,
Quem flagrans Pietas Patrem
Præclaro inſeruit nominis Ordini
IESV, *magno animo improbis*
Spretis diuitijs, delicijs ſimul,
Calcatis & honoribus:
Hîc te corripiens immedicabilis

Morbus, lædere pertinax
Neruos diſſoluit corpore languidos.
Mens infracta manet tamen
Aduerſis patiens; nam bona, gloriam
Et laudes celebrat Dei.
O quæ mellifluo gutture Cantica,
O quæ Idyllia concinis,
Magno grata Deo, Cælituum æmulus!
Sunt hæc carmina Maximi
VRBANI *nitidis auribus, arbitri*
Orbis, digna, ſed & Cedro.
Dum te languor edax compede detinet,
Et ſæuus cruciat dolor;
Pergas doctiloquâ pſallere Barbito
Pæana, & tua quod monent
Verſis appoſitè nomina litteris,
CONSTANS FER DOMINI CRVCEM.
Hac cælum petitur ſidereum viâ.

ANTONIVS DE MOL, Regius
in Arteſiæ Curiâ Conſiliarius.

DE

DE SACRIS CANTICIS ET IDYLLIIS R.P. FRANC. DE MONTMORENCY, VRBANO VIII. PONTIFICI MAXIMO DEDICATIS,

Epigramma.

Vos, quæ tergeminæ ſub maieſtate coronæ,
Collibus in ſeptem mellificatis Apes:
Submiſſis humiles alis, & ſupplice pennâ,
MONTMORENCYADES *ſuſpiciunt Aquilæ.*
Et thyma, collectoſque ſacro de codice flores,
Deponunt veſtros, vt decet, ante pedes.
Nam quia tempeſtas eſt mellea temporis huius,
Romanis Aquilis quo dominantur Apes,
Dediſcunt Aquilæ fulmen, florumque miniſtræ
Ætherei veniunt mellis ad obſequium.
Eſte igitur faciles: inſcripti nomen IESV
Sunt flores, verſæ nomen in hoc Aquilæ.
Si legitis, ſummoque animam decerpitis ore;
Dulcius hoc etiam nomine mella fluent.

GVALT. PAVLLVS è Soc. IESV
S.Theol. Doct. & Prof.

*CANTICVM

Moysis & Mariae.

Exod.15.cap.

CANTEMVS Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem:

Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.

Currus

** Meritò Origenes Canticum hoc omnium quæcumquam ſcripta ſunt poëmatum primum appellat: aliquot enim ſæculis Linum, Orpheum, Homerum anteceſsit Moyſes. Flauius Ioſephus cap. vltim. lib. 2. Antiq. carmen hoc Moyſis verſu hexametro compoſitum fuiſſe contendit.*

ARGVMENTVM.

Traducto per Mare rubrum ſiccis veſtigijs Israele, & demerſo Pharaone Rege cum vniuerſo exercitu; Moyses cum viris, Maria ſeorſum cum mulieribus Hebræis, hoc Epinicium Deo Victori, Vindici, cecinerunt.

VNANIMI *cantemus io, io voce Triumphe:*
Ad veteres acceſſit enim noua laurea palmas:
Præcipites Deus egit equos equiteſq; profundo.
Abſit vt hoc quiſquam mortalibus arroget armis:
Numinis eſt ſolius opus. Mihi venit ab illo
Opportuna ſalus. Alios gens impia poſthac
Ne mihi finge deos. Meus eſt Deus iſte, meiſque
Cultus auis. Illi ſolemnia ſacra, dieſque
Inſtituam feſtos, parti monimenta Triumphi,
Et meritis pendam memorẽ pro talibus hymnum.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Seu Deus Vltor amas, amplo ſeu nomine dici
Omnipotens; quem te pugnis ardentibus inſers?
Fulmineum qualis quantuſq; aſſurgis in enſem?
Serius Ægyptus didicit quid robore poſſes,
Dum mouet arma tuo non reſponſura lacerto.

Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare:

Electi Principes eius ſubmerſi ſunt in Mari rubro. Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua, Domine, percuſſit inimicum. Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos:

Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam. Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ:

Stetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.

Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea:

Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

Flauit

Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Qualis arundo leues neruo volat acta per auras,
Talis Erythræum facilè eſt excuſſus in æquor
Indocilis Pharao, pariterque exercitus omnis
Et Peluſiacæ pelago periere quadrigæ.
Scuta virûm fluitare ſalo, iuga fracta rotaſque
Aſpicere eſt: de tot modò millibus vnus & alter
Vix ſuper apparent nantes in gurgite vaſto.
Hos quoque vincit hiems: feſſi referuntur ad imum
Vt lapis: it ſummas Ægyptia gaza per vndas.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Fortibus ô quantum ſeſe tua dextera factis
Extulit! in populos quàm dura exempla rebelles
Conſtituit, iuſtoque remiſit lora furori!
Ocyor arentes non corripit ignis ariſtas,
Quàm tua momento diſperdidit ira ſuperbos.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Iuſſa ſuos aperire ſinus tibi paruit vnda,
Et medium vidit Pharao diſcedere pontum.
Inſequar inuiſos, quà me via ducit, Apellas;
Aſſequar, exſcindam, ſpolijs ornabor opimis.
Sic ait: oblato conſternatoſque periclo
Exhortatus equos, penetralia gurgitis alti
Limite peruadit latè patefacta ſequeſtro.
At ſimul inſonuit tua vox; ſubſidere cœpit.
Quæ priùs in montis faciem ſurrexerat vnda,
Hauſit & ingenti Pharaonis caſtra ruinâ.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.

Ergo

Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

Quis ſimilis tui in * fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

* *Vox Hebræa* Elim *plurale eſt nominis* El, *quo Deus ſignificatur.*

Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra. Dux fuiſti in miſericordiâ tuâ populo quem redemiſti.

Et portaſti eum in fortitudine tuâ, ad habitaculum ſanctum tuum.

Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm.

Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

Irruat

Ergo iaces Pharao ſub aquis, ceu plumbea peſſum
It pelago moles, imiſque recumbit arenis?
Ergo iacet tecum non emerſura profundo,
Quæ modò certabat Superis Mareotica pubes?
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Quis ſimilis, Deus alme, tui? quis ferre ſecundum,
Æqualémve tibi ſe dis ex omnibus auſit?
Te tuus Iſraël operum memor vſque tuorum
Compellet facilemque pijs, rigidumque profanis:
Dicat vt Hebræum ſeruaris commodus agmen;
Durior vt rubris hoſtes tumularis arenis.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Alituum regina ſuas vt tollit in alas
Dulce onus, & teneros mater vehit anxia fetus:
Sic geminis Abrahæ ſobolem geſtabis in vlnis,
*Saxa * Iebuſæa donec ſuperauerit arcis.* * Sic dicta antiquis Ieruſalem.
Hæc domus, hæc patria eſt; hæc fatis debita tellus.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
At quis agit populos furor improuiſus in arma?
Quas acies ſeſe campis diffundere cerno?
Prima Palæſtini ſuſtollunt ſigna coloni:
Agmina palmiferæ quos pone ſequuntur Idumes;
Hinc Arabum manus, inde ruit Phœniſſa iuuentus.

Idem

Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui:

Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.*

Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine.

Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ. Dominus regnabit in æternum & vltrà.

Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris:

Filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum in medio eius.

*CAN-

Idem omnes ſimul ardor habet, felicibus aruis,
Quæ Chananæus arat, Iudæ prohibere nepotes.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe..
Exere terrificam cælo, Deus, exere dextram
Hoſtibus incuſſâ ſtet hebes formidine ſanguis,
Pigraque ſopito lapideſcant brachia ſenſu:
Dirigeant torpore manus, admiſſaque totis
Articulis ipſos ignauia ſerpat in enſes:
Dum tuus intereà medios impunè per hoſtes
Carpit iter populus, monteſque euadit in altos
Das vbi manſuras in ſæcula figere ſedes.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Non ita Carmelus firmis radicibus hæret,
Non Libanus; ſolido ſtabunt vt mœnia ſaxo,
Iſraëligenæ quæ te, Deus, auſpice condent.
Hîc reddi tibi vota voles, hîc thure litari:
Optabiſque locum templo; quod regia Iudæ
Poſteritas olim Pario de marmore ponet.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.
Regnet io, regnet Deus Iſraëlis: & Orbi
Imperet æternos (vel ſi potis ampliùs) annos.
Nam Pharios inuoluit equos, equiteſque pro-
fundo,
Per freta traducens ſiccis nos peruia plantis.
Vnanimi cantemus io, io voce Triumphe.

*CANTICVM
Nouiſſimum Moysis.

Deuteronom. cap.32.

** Obſeruat hic Diuus Chryſoſtomus Amãtium iras & iurgia, non minùs quàm blanditias, materiã Canticis idoneam ſuppeditare.*

AVdite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum,

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Quia nomen Domini inuocabo:

Date magnificentiam Deo noſtro: Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia:

Deus fidelis, & abſque vllâ iniquitate, iuſtus & rectus.

Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus:

Generatio praua atque peruerſa. Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens?

Numquid

ARGVMENTVM.

Morti iam proximus Moyses, grauiſſimam hanc ad filios Israel (vt eos ad idola defluentes, in vero Dei cultu contineret) concionem habuit.

Iuſſus ad hanc facio dum verba nouiſſima plebem;
Eſto Sol mihi teſtis, & ô labentia cælo
Sidera: tuque cauis ſeu vallibus humida ſidis,
Aſſurgis ſeu Terra iugis, has accipe voces.
Vtile ros ſegeti, pratis ſitientibus imber,
Iſacidum generi mea carmina: diſcet ab illis
Quiſque Deũ celebrare. Dei ſunt omnia munus,
Omnia ſunt illius opus. Fuit ipſe repertor
Tot rerum quot mundus habet, quas omnibus omnes
Abſoluit numeris, purumq; exegit ad vnguem.
Vt velit, inueniet nihil hîc quod carpere liuor
Poſſit; ad artificis reſpondent ſingula normam.
Ecquis enim te ſumme Parens eſt iuſtiòr alter?
Neſcia nempe tibi mens fallere, neſcia falli.
Et tamen iſte (tuus ſed qui iam deſijt eſſe
Filius) Iſraël tua fallere numina vecors
Sperat, honeſta ſuis obtendens nomina culpis.
Ah ſcelerate puer! quid auorum ſtemmata iactas?

Numquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te,& fecit,& creauit te?

Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas.

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi;maiores tuos,& dicent tibi.

Quando diuidebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios Adam,

Conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël.

Pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.

Inuenit

Non tibi Sara parens, generis non auctor
Abramus.
Aſpis in Æthiopum te ſurda creauit arenis,
Expuit infauſto bicolor te vipera partu,
Talia qui reddis pro dulci præmia vitâ.
Nec quē deſpicias, nec quem, maleſane, laceſſas,
Reſpicis. Hic pater eſt: illi cunabula debes,
Huius & vſuram frueris quâ perfide lucis.
Si vacat à primâ naſcentis origine mundi
Ad tua veraces euoluere tempora faſtos,
Nec piget Annales maiorum audire tuorum;
Inde ſatis diſces, quàm te mortalibus vnum
Præ reliquis miro Deus eſt dignatus amore.
Te, puer, in quas ſpes, in quæ te regna vocauit,
Cùm Pater omnipotens (ſtolidi monimenta la-
boris)
Cerneret educi Babylonis ad æthera turrim,
Et cæleſte feros regnum affectare Gigantes?
Protinus ex illo mortales tempore ſparſit
In varias, ne cœpta nouent temeraria, terras.
Communemque priùs, liquidi velut aëris æquor,
Iuſtus humum certo diſcreuit limite menſor.
Obtigit his Meroë, vicinia Perſidos illis,
Pars ijt Ægyptum, pars in loca ſola receſſit
Armeniæ, gelidos alij tenuere Triones.
E numero populorum omni biſſena Iacobi
Pignora lecta ſui voluit Deus eſſe peculî.
Hinc fore pollicitus Chananitidis arua beata,
Quæ ditione premat manſuram in ſæcula gentē.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Inuenit eum in terrâ deſertâ,in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis:

Circumduxit eum, & docuit:& cuſtodiuit vt pupillam oculi ſui.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos,& ſuper eos volitans,

Expandit alas ſuas,& aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.

Dominus ſolus dux eius fuit : & non erat cum eo deus alienus.

Conſtituit eum ſuper excelſam terram : vt comederet fructus agrorum,

Vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

Butyrum

O quibus officijs genus hoc delenijt! ô quã
Aſſeruit vindex per mille pericula curâ!
Dum per arenoſa ſaltus erraret Idumes
Exul, inops, niſi ferret opem Pater omniũ egeno.
Nulla ſui genitrix indulgentiſſima nati
Cuſtodit geminos oculorum cautiùs orbes.
Quid loquar, annonam quòd ab æthere miſerit illi?
Quid, medio quòd ſæpè die recrearit ab æſtu
Nube tegens? quòd nocte facem præluxerit atrâ,
Quà ſit iter monſtrans per inhoſpita ſaxa vaganti?
Regia ſic pullos trepidantes erudit ales,
Cùm primùm è dulci producit in aëra nido;
Sic docet inſolitis alarum inſiſtere remis
Anteuolans, ſic in vacuo notat æthere callem;
Interdum feſſis ſubiens, tergoq́ue receptos
Præpetibus ſublimè vehens ad ſidera pennis.
Haud ſecùs Iſacidem ſpatiantibus extulit alis
Dux Deus ipſe viæ (nec enim fuit alter ab illo)
Promiſſâque ſtitit tandem Chananitidos orâ.
Te manet, Iſraël, fatis hæc debita tellus
Omnigenis fecunda bonis, atque vbere glebæ.
Hæc loca lacte meroq́ue natant, certantq́ue viciſſim,
Vtra magis tibi grata ferant, magis inclyta dona.
Saniris en rupes nullo munuſcula cultu
Dat tibi mella ſuis paſſim currentia ſaxis.
En lapidoſus apex Hermonis pinguibus vnde

Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan:

Et hircos cum medullâ tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus,
Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.

Immo-

Affluit, expreſſum baccis tibi fundit oliuum.
Aſpice palmiferi quot oues Iordanis ad amnem,
Quotque ſuis tondent cytiſum cum matribus agni.
Aſpice luctantes aduerſis cornibus hœdos,
Aſpice dumoſâ pendentes rupe capellas,
Quotquot alit Baſanæus ager. Quàm multa recenſe,
Si potes, in latis errent armenta Segoræ
Vallibus: hæc tua ſunt, veteri migrante colono.
Vtque nihil deſit; malos vbi ſeuerat antè
Cultor Amorrhæus riguis Heſebonis in hortis,
Hinc modò poma leges, ceſſanſque fruêre labore
Alterius. Tibi felices Jerichuntis ad vrbem
Pinguia corticibus ſudant opobalſama virgæ.
Denique quidquid habet farris tibi donat opimi
Eleale. Sua vina tibi mera ſeruat, apricis
Ducit in Engaddi quæ collibus vua colorem.
Quæ quibus æquiparem? tam larga ſed (auguror) harum
Heu! dabit ad culpam cauſas tibi copia rerum.
Qualis equus ſaturum ſtans ad præſepe, niteſcit,
Cui luxu diſtenta cutis, parere magiſtro
Abnuit, inſanoque recalcitrat impete ſternax:
Tu quoque fortunæ ſucceſſibus ebrie blandis,
Noſſe Deum, tot noſſe Dei benefacta negabis;
Acceptam ſoli decuit cui ferre ſalutem,
Non alijs antiqua dijs quos neſcijt ætas.

Immolauerunt dæmonijs, & non Deo, dijs quos ignorabant.

Noui recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia prouocauerunt eum filij ſui & filiæ.

Et ait: Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum:

Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij.

Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis:

Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtultâ irritabo illos.

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima:

Deuo-

Nuper enim fabri calidis excuſa caminis
Prodijt in lucem Diuorum hæc turba nouorum,
Templa quibus demens & puluinaria pones,
Atque peregrino fundes libamina ritu.
O dignos ſortite deos! dum deſpicis illum,
Vnus ab æterno qui temperat arbiter Orbem.
Siccine legitimis à ſacris transfuga, Numen
Immortale voles iſtis poſtponere monſtris?
Quis tibi ſumme Deûm cernenti talia ſenſus?
Quiſve dolor? quàm terribiles, quàm Numine dignas
Concipies iras? Equidem mihi venit in artus
Horror, vt his hauſi tua dicta minacia nuper
Auribus. Hac à plebe meos auertere vultus
Stat mihi, dicebas, ſtat gentem iugibus iſtam
Exercere odijs: quia me prior odit, & agrè
Vt faciat mihi, riuales ſub noſtra vocare
Suſtinet ora, deos ſimulachra carentia ſenſu.
Pro quibus admiſſis hanc non clementiùs vram.
Sunt viles populi, ſunt & ſine nomine Gentes
Quas mihi (ſubmoto procul Iſraële) ſacrabo.
Tabeat inuidiâ; nec ſit mihi cura mederi.
Sed meus hîc nondum ſtabit furor. altiùs imis
Ira ſedet fibris, ô quos paritura tumultus!
Non aliter cæcis terræ penetralibus ignis
Æſtuat incluſus, dumque eluctatur in auras,
Diſijcit auulſum montis latus; ima reuelans
Fundamenta ſoli, donec potiatur aperto
Æthere, & effuſis latè voret omnia flammis.

Bella

Deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.

Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.

Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo:

Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.

Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor: iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene.

Dixi: Vbinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed

Bella mihi iam bella placent: iam letifer arcus
Me iuuat; hoſtili iam tingere tela cruore,
Iam grauidam calamis libet exhaurire pharetram.
Nec ſatis vnus erit pœnæ modus. Omne malorum
Confluat examen, noſtros vt adobruat hoſtes.
Ad mea conueniant excîta claſſica peſtes
Mille, mihi magnas legi quas vltor in iras;
Et macies, & dira fames, & turpis egeſtas,
Et labor, vltriceſque catenato agmine curæ:
Terrorumque noua facies, formæque volucrum
Horribiles viſu, variarum & monſtra ferarum.
Vos ô vos catulis ſi pabula quæritis vrſæ,
Vos auidæ tigres, iunctique leonibus apri,
Huc rictus, huc fulmineos conuertite dentes,
Deuotamque neci roſtris inuadite gentem.
Vos huc cærulei virus ſpirate dracones,
Sacrilegoſque mihi rabido conſumite morſu.
Quos cita ſubducet veſtris fuga dentibus, illos
Excipiat faciam temulentus ſanguine mucro:
Nec iugulo ſenis, aut pueri, timidæve puellæ
Abſtineat. Sic ſic pereant diſcrimine nullo.
Quò rediit numeroſa binominis illa Iacobi
Progenies, quæ littoreas æquabat arenas?
Digna quidem tota eſt exſcindi: digna profanum

Cuius

Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum,

Et dicerent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent!

Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?

Nónne ideò, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?

Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum: & inimici noſtri ſunt iudices.

De vinea Sodomorum, vinea eorum,& de ſuburbanis Gomorrhæ:

Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi.

Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

Nónne hæc condita ſunt apud me,& ſignata in theſauris meis?

Mea

Cuius ego memori deradam nomen ab auo.
*Et faciam. Sed ſtat ſua linquere tempora * fatis;*
Adſcribat ne fortè ſuis hoc Barbarus armis,
Quod tribui mihi debet opus: ne victa lacerto
Prædicet eſſe ſuo Iudææ robora pubis.
Vſqueadeóne tibi eſt obtuſum Barbare pectus,
Ut nequeas hoc eſſe meum dignoſcere munus,
Mille quòd Iſacidas dare terga coëgeris vni?
His ego (ſi neſcis) animos, his robur ademi;
Et tibi belligeras miſi in præcordia vires
Auctor ego audendi. Ne me, ne, quæſo, tuorum
Eſſe putes aliquem vanâ de gente deorum,
Quos impunè tibi contemnere fas ſit inermes.
Hoſtis erit quicumque mihi, non ibit inultus.
Sentiet, hæc vindex ſcelerum quid dextera poſſit,
Sentiet Iſraël ô quàm mutatus ab illo,
Qui fidei donec ſeruans fuit, eſſe ſolebat
Noſter amor, pro quo potui tot ſumere curas:
Inſtar enim vitis colui: Mareotidos atræ
Eduxi ſcrobibus: Sabamæ melioribus aruis
Depoſui, mitem ſi fortè rependeret vuam:
At modò degenerans, ſucco diſparque priori,
Induit ingenium Sodomæi palmitis: vnde
Vina fluunt, non quæ pateris libentur & auro,
Cùm facit in niueâ caſtus mihi veſte Sacerdos;
Felle magis ſed amara, ſed atro mixta veneno,
Qualia priuignis dant pocula ſæpè nouercæ.
Hæc cur diſſimulo, quando peccata morantem
Extor-

* Nihil hîc Stoicum aut Mathematicum. Voce fati vtimur pro Aeterno Dei decreto, quod ſingula ſuo ordine, loco & tempore, firmiter reddit; vt fatum, à fando, ſit dictum diuinum.

Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum,

Et dicerent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent!

Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?

Nónne ideò, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?

Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum: & inimici noſtri ſunt iudices.

De vinea Sodomorum, vinea eorum,& de ſuburbanis Gomorrhæ:

Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi.

Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

Nónne hæc condita ſunt apud me,& ſignata in theſauris meis?

Mea

Cuius ego memori deradam nomen ab auo.
*Et faciam. Sed ſtat ſua linquere tempora * fatis;*
Adſcribat ne fortè ſuis hoc Barbarus armis,
Quod tribui mihi debet opus: ne victa lacerto
Prædicet eſſe ſuo Iudææ robora pubis.
Vſqueadeóne tibi eſt obtuſum Barbare pectus,
Vt nequeas hoc eſſe meum dignoſcere munus,
Mille quòd Iſacidas dare terga coëgeris vni?
His ego (ſi neſcis) animos, his robur ademi;
Et tibi belligeras miſi in præcordia vires
Auctor ego audendi. Ne me, ne, quæſo, tuorum
Eſſe putes aliquem vanâ de gente deorum,
Quos impunè tibi contemnere fas ſit inermes.
Hoſtis erit quicumque mihi, non ibit inultus.
Sentiet, hac vindex ſcelerum quid dextera poſſit,
Sentiet Iſraël ô quàm mutatus ab illo,
Qui fidei donec ſeruans fuit, eſſe ſolebat
Noſter amor, pro quo potui tot ſumere curas:
Inſtar enim vitis colui: Mareotidos atræ
Eduxi ſcrobibus: Sabamæ melioribus aruis
Depoſui, mitem ſi fortè rependeret vuam:
At modò degenerans, ſucco diſparque priori,
Induit ingenium Sodomæi palmitis: vnde
Vina fluunt, non quæ pateris libentur & auro,
Cùm facit in niueâ caſtus mihi veſte Sacerdos;
Felle magis ſed amara, ſed atro mixta veneno,
Qualia priuignis dant pocula ſæpè nouercæ.
Hæc cur diſſimulo, quando peccata morantem
Extor-

* Nihil hîc Stoicum aut Mathematicum. Voce fati vtimur pro Aeterno Dei decreto, quod ſingula ſuo ordine, loco & tempore, firmiter reddit; vt fatum, à fando, ſit dictum diuinum.

Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum:

Iuxtà eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.

Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur.

Videbit quòd infirmata ſit manus, & clauſi quoque defecerunt, reſiduíque conſumpti ſunt.

Et dicet: Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?

De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum:

Surgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.

Videte

Extorquent mihi vindiƈtam? cunƈtãtia quando
Fata ſuis vrget gens hæc temeraria culpis?
Ecce dies feralis adeſt, en tempus in ipſis
Stat foribus, cogor quo ſera repoſcere tandem
Supplicia, & meritas ingrato à ſanguine pœnas.
Ergone ſupremâ potero damnare ruinâ
Iſacidum ſobolem? Domus ergo peribit Abrami?
Sed meruit. Nullúſne meis vltricia tela
Excutiet manibus? Bis ſunt mihi fulmina ſumpta;
Bis cecidere. Meis adeò miſeratio cœptis
Pugnat, & ancipitem facit indulgẽtia mentem.
Vince tamen Iuris rigor; & quos pleƈtere par eſt,
Pleƈte: graui quamuis ſtabit vindiƈta dolore
Hæc mihi; dum fatis Iſraël taƈtus acerbis
Deficiet, ſtriƈto ſuccumbit vt hoſtia ferro.
Non acies illi validas educere campis
Profuerit, triplici non oppida cingere foſsâ:
Barbarus has acies, hæc ſubruet oppida viƈtor;
Et trahet Euphratis captum trans flumina vulgus,
Hebraideſque nurus ſubdet puerosque cataſta.
Forſitan, Iſraël, hoc in diſcrimine ſperes
Vt tibi, tot diuos inter quibus exta cremabas,
Vinaque libabas pingues epulatus ad aras,
Auxilium rebus ſaltem ferat vnus in arƈtis.
Te, ſi qua eſt illis virtus, tueantur amicâ
Nunc ope. Sed neque ſe, ſua nec ſeruare miſelli
Fana dij poſſunt, ea quin cinefaƈta fatiſcant.

Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.

Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.

Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.

Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea:

Reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes,

* De.*i.*propter. *quia crudeliter habiti ſunt Hebræi à Barbaris.*

* De cruore occiſorum, & de captiuitate, nudati inimicorum capitis.

Laudate gentes populum eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur:

Et vindictam retribuet in hoſtes eorum, & propitius erit terræ populi ſui.

CAN-

Et quiſquam ſupplex illorum numen adoret
Præterea? vel ijs ſacros indicat honores?
Solus ego (haud alium patiar me præter haberi)
Solus ego Deus omnipotens. Quodcumq; libebit,
Momento faciam. Tollam mortalibus, idem
Inſpirabo animã. Manus hæc in vtrumq; parata,
Vulnus, opemque feret. Ego te, ſi verbere doctus
Conſilia in melius referes, Hebrææ iacentem
Rurſus humo attollam, rurſúſque in ſceptra reponam:
Exſcindamque tuos verſâ vice funditus hoſtes.
Per me, perque meum iuro immutabile Numen,
Tales ipſe mihi dabis olim Barbare pœnas,
Quales antè dedit tibi ſtirps inuiſa Iacobi.
Iam mihi iam bibulas videor ſatiare ſagittas
Cæde, meumque tuis hebetare cruoribus enſem:
Altiùs haud vmquam totus fuit ille receptus
Barbariæ iugulo. Stagnabunt ſanguine largo,
Nec capient amplæ demeſſa cadauera valles.
Tanti veſter erit ſanguis repetendus ab hoſte
Iſacidæ. Vobis oblata iniuria tanti,
Dum coma more fuit ſeruorum raſa, luetur.
Audiat hæc, Deus ipſe ſuo quæ detonat ore,
Audiat Hebræi quicumque eſt nominis oſor;
Admonituſque ſuâ cogatur clade fateri
Eſſe Deum Iſacidûm, memorem fandi atque nefandi,
Sumere qui læſus vitijs, & ponere ſumptas
Nouerit humanis precibus placabilis, iras.

CANTICVM

Debborae Prophetidis.

Iudic. 5. cap.

QVi ſponte obtuliſtis de Iſraël animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.

a Carmen hoc Debbora ad citharam decantauit. Carminis character eſt planè Lyricus.
b Sëir, & Pharan, montes ſunt Arabia Petraa.

Audite Reges, auribus percipite Principes: Ego ſum, ego ſum quæ Domino canam; a pſallam Domino Deo Iſraël.

Domine cùm exires de b Sëir,& trãſires per regiones Edom, terra mota eſt, cæliq́ue ac nubes diſtillauerunt aquis.

Montes

ARGVMENTVM.

Interempto manu feminæ Chananæorum duce Siſarâ, profligatiſque eius copijs, DEBBORA Prophetis DEO VICTORIÆ AVCTORI hanc Odam Euchariſticam admodulatur.

Vos quibus certo capitis periclo
Iſaci ſanguis ſtetit iſta laurus,
Numini mecum bona gratulantes
Dicite verba.

Dux ego vobis, ego dux praibo;
Barbito vates ego grandiore,
Quâ Deo fas eſt meritum referre,
Ordiar hymnum.

Principes Regeſque fauete linguis,
Maximus dum mi Deus Optimuſque
Dicitur, qui res iubet Iſraëli
Ire ſecundas.

Sëir, intonſus Paranique vertex
Teſtis eſt, quâ vi, quibus vltor armis
Huc auos olim Deus è Canopi
Tranſtulit aruis.

Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſraël.

In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel, quieuerunt ſemitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios.

Ceſſauerunt fortes in Iſraël, & quieuerunt: donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſraël.

Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit: clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſraël.

Cor

Non Idumæi potuere montes
Illius præſens tolerare Numen,
Sed fatiſcentes tremuere ab imis
Funditus antris.

Vt Dei ſenſit propiora terris
Ora, ſudoris ſimul imbre fluxit,
Et fuit tanto ſibi viſus impar
Sina calori.

Rector Hebrææ Deus alme plebis,
Ceſſerit noſtris modò quòd Iabinus
Copijs, hoc eſſe tui fatemur
Muneris omne.

Non enim Samgar potuit cauere
Ne vias hoſtis Syrus obſideret,
Et iugum ſegnes Abrahæ doceret
Ferre nepotes.

Prô pudor! gentis malè feriatæ
In quater denis nequit inueniri
Millibus vir qui clypeum capeſſat
Vllus & haſtam:

Debboram donec Deus aduocaret
ImperI rebus propè corruentis;
Feminæ partes dedit Iſraëlis
Probra piandi.

Hos Deus luſit ſine more ludos,
Et nouo exemplo noua bella geſſit:
Quò triumphales ſibi vendicaret
Solus honores.

Cor meum diligit Principes Iſraël : qui propriâ voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.

Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos , & ſedetis in iudicio , & ambulatis in viâ , loquimini.

Vbi colliſi ſunt currus , & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus , ibi narrentur iuſtitiæ Domini & clementia in fortes Iſraël : tunc deſcendit populus Domini ad portas , & obtinuit principatum.

Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum : ſurge Barac, & apprehende captiuos tuos fili Abinoem.

Saluatæ ſunt reliquiæ populi , Dominus in fortibus dimicauit.

Debitas ergo Domino refirte
Principes Iudæ, mea cura, grates:
Aleam quotquot ſubijſtis huius
Sponte duelli.

Tuque qui mulâ veheris nitenti
Scriba, pauliſper fora rauca linque;
Nuntios lætos age conſulenti
Dicito turbæ.

Ciuitas omnis ſciat, Iſraëlis
Iudici ſummo placuiſſe cauſam,
Hoſtibus pœnas ſciat irrogatas
Eſſe proteruis.

Verſa narrentur Chananæa retrò
Caſtra, & obtriti ſubitâ ruinâ
Siſaræ currus, tumidoque merſum
Agmen in amne.

Dic & Hebrææ patuiſſe pubi
Vrbium portas, vbi iura quondam
Dixit infelix ſolio Iabinus
Pulſus auito.

Euge, qui bello meruere laudem,
Sume venturis memorare ſæclis
Si quid æterna canis approbandum
Debbora famæ.

Inter Heroas mihi iure princeps
Huc ades Regum domitor Barace:
Te catenatus gradiatur ante
Hoſtis ouantem.

. Ex Ephraim deleuit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos tuos ô Amalec: de Machir Principes deſcenderunt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.

Duces Iſſachar fuere cũ Debborâ, & Barac veſtigia ſunt ſecuti, qui quaſi in præceps ac barathrum ſe diſcrimini dedit: diuiſo cõtra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.

Quare habitas inter duos terminos, vt audias ſibilos gregum? diuiſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.

Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat nauibus: Aſer habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.

Zabulon verò & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti, in regione Merome.

Venerunt Reges & pugnauerunt, pugnauerunt Reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes.

De

Nec meis indictus erit Camœnis
Beniamin pulchra ſoboles Rachelis,
Pralijs audax, Amalechiorum
Nuperus horror.

Debet acceptam quoque plebs ſalutem
Ferre praſtanti iaculis Ephremo:
Huius inſignis manet & Machirum
Gratia facti.

Poſteros non Iſſacharis tacebo,
Qui per hoſtiles cuneos Baracum
Prodigum vita comites fuerunt
Vſque ſecuti.

Si rogas cur his Rubenita deſit;
Ille Iordanis pecus amne lotum
In Galadinos amat otioſus
Ducere colles.

Inſtitor Danus, cupiduſque lucri,
Nauibus totus vacat inſtruendis;
Nec ſuâ ciues operâ tuendos
Suſcipit Aſer.

Non latet, non ſic Zabulone cretus
Ceſſat; adiungit ſibi Nephthalitas:
Eligunt caſtris iuga ſaltuoſi
Firma Thabori.

Æmulos contrà Chananitis ora
Suſcitat Reges; & in arma mittit,
Qui tegunt latè Megidonis vdam
Milite vallem.

Hinc

De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.

Torrens Ciſon traxit cadauera eorum, torrens Cadumim, torrens Ciſon: conculca anima mea robuſtos.

Vngulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium.

Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius.

Bene-

Hinc mares atque hinc animos tubarum
Clangor admixtus lituis laceſſit:
Dura collatis ineunt vtrimque
Prælia ſignis.

O Deo dilecte nepos Iacobi,
In tuas partes nimio fauore
Aſtra concedunt: tibi fœderatus
Militat æther.

Sidus è cæli ſtatione læuum
Siſaram conſternat; eo timore
In pedes ſeſe temerè relictis
Abijcit armis.

Par ſtupor cunctos equites equoſque
Attonat, ſe præcipites ab altis
Dant iugis: Ciſon rapidis cadentes
Excipit vndis.

Corporum quantos vehit hic aceruos
Auctus hoſtili fluuius cruore?
Amne quot prono galeas Cadumim
Voluit inanes?

Quàm iuuat paſſim ſuper inſepultos
Ire Phœnices? Age glorioſo
*Debbora inſultans pede * Barbarorum*
Funera calca.

* Barbari apud Hebræos erāt omnes, qui linguâ ſacrâ non vterentur.

Sed quid infidæ populo Meroſæ
Imprecer? Nomen iubet execrari
Illius, qui me monitor futuri
Spiritus afflat.

Ergo

Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.

Aquam petenti lac dedit, & in phialâ principum obtulit butyrum.

Siniſtram manum miſit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.

Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus eſt: voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis & miſerabilis.

Per feneſtram reſpiciens, vlulabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius?

Vna ſapientior ceteris vxoribus eius, hæc ſocrui verba reſpondit:

Forſitan

by Google

Ergo nos ſpectauerit è propinquo
Illa pugnantes? nec opem Iſraëli
Miſerit? non ſic id abibit illi
Crimen inultum.

Sis nurus felix precor inter omnes,
Sint tibi tentoria fauſta, Iahel:
Sub quibus fidas ſibi dum latebras
Siſara quærit;

Poculo lactis datus in ſoporem
Nominis tanti cadit Imperator,
Non viri dextrâ, neque militaris
Cuſpide teli:

Malleo clauum mulier trabalem,
Vulneri ſortita locum, ſub aurem
Egit, & niſu valido iacentis
Tempora fixit.

Ille victricis moriens puellæ
Ad pedes, fœdè ruit aduolutus.
„ Exitus vitæ manet is ſuperbos
„ Morſque pudenda.

** I! parens, i nunc vigil è feneſtrâ*
Siſaræ obſerua redeántne currus:
Cur ſua, clamas, piger ille matris
Vota moratur?

* Sarcaſmus elegans.

Mitte pro nato pia mater iſtam
Quam geris curam; valet, & triumphat:
Vna, reſpondit, ſapere inter omnes
Viſa puellas:

Diuidit

Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei: veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam, & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur.

Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.

Diuidit prædas, vt opinor; illi
Virginum pulcherrima mancipatur:
Siſaram parto reducem triumpho
Læta videbis.

Sic malos omnes mala fata perdant:
At boni porrò magis eniteſcant
Ac magis; ceu Sol roſeo diei
Splendet in ortu.

Digitized by Google

Dixit ſe incenſurum fines meos,& iuuenes meos occiſurum gladio; infantes meos dare in prædam,& virgines in captiuitatem.

Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus feminæ, & confodit eum.

Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi; ſed Iudith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.

Exuit enim ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſraël.

Vnxit

Hunc opibus tantis tumidum , & ſuprema minatum,
Bethelia, iam-iamque faces ad tecta ferentem,
Vincula iam Solymis meditantem indigna puellis,
Præpropero ſterni te vidimus auſpice leto.
Alterno Domini celebremus carmine nomen.

CHORVS PVELLARVM.

Cui tantum licuit? ferro violare quis auſus
Mille coronatum palmis caput? ánne ſuperbâ
Edidit hoc aliquis facinus de ſtirpe Gigantum?
Non vlli ſeſe illius de vulnere iactent
Titanes, non vlla manus exercita bello
Id potuit iuuenum. Tanti dux femina facti.
a *O decus Hebraidum, ſoboles formoſa Merari,*
Non tu carminibus, Iuditta, tacebere noſtris:
His tibi pro meritis ſtatuemus feſta puellæ
Annua, te crebris te compellabimus hymnis,
Compita luſtrantes lepidis Solymæa choreis.
Pars quatiet b *thyrſos, oleâ pars altera crinem*
Vincta leui feriet crepitantia cymbala pulſu.
Hæc tibi ſemper erunt , dum palmas gignet Idume;
Dum Libanus cedros, tua ſemper facta canemus:
Fortiter vt patriæ pro libertate periclis
Obtuleris temet, penetrâris vt hoſtica caſtra
Nil pauefacta. Tuæ tanta eſt fiducia formæ.
Quæ licet eximia eſt, cultus tamẽ auxerat illam:

Digitized by Google

Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum cantemus Deo noſtro.

Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt.

Tibi ſeruiat omnis creatura tua: quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt,& non eſt qui reſiſtat voci tuæ.

Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis: petræ, ſicut cera, liqueſcent ante faciem tuam.

Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos.

Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.

CAN-

CHORVS PVELLARVM.

Summe Deus, tenui tibi quæ præconia verſu,
Quod damus inferius meritis, ne deſpice carmen:
Solus enim tu magna potes præſtare, ſoleſque,
Mirandus cunctis, ſed non imitabilis vlli.
Quidquid vbique viget rerum, tibi ſubſit in omne,
Seque tuum fateatur opus; tua iuſſa capeſſat,
Et dominæ timeat robuſta tonitrua vocis,
Terrificæ vocis: tellus quâ tota mouetur
Increpitante, ſuis & fontibus ora relaxat;
Quâ reboante fluunt cautes, & ſaxa liqueſcunt,
Cera velut viſo leuiter tabeſcit ab igne.
Alterno Domini celebremus carmine nomen.

IVDITH.

Alme Pater, tibi prima Bonos eſt cura tueri;
Altera, ſupplicijs eſt caſtigare ſuperbos.
Væ! generi quicumque pio nocuiſſe fereris:
Namque tibi Dominus vermes olidumq; parauit
Sulphur, & æternis indeficientia flammis
Pabula, ſacrilegæ carnes quibus vſque crementur.
Perpetuo Domini celebremus carmine nomen.

Digitized by Google

Digitized by Google

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino : benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domino : benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino : benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino : benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino : benedicite omnes volucres cæli Domino.

Bene-

Domino, arduaque nubes.
Benedicat aura blandis
Modulans Deo ſuſurris.
Benedicat omnis illi
Vbicumque ſeruet æſtus,
Vbicumque lucet ignis.
Benedicat omnis illi
Vbicumque torpet algor,
Vbicumque nix perennat.
Benedicat alma tellus
Domino, ſinuque quidquid
Parit illa fructuoſo.
Lapidoſa montiumque,
Nemoroſa collinmque,
Domino modis canoris
Benedicite, obſecundans
Quibus aſſonabit Echo.
Benedic Deo, perenni
Aquâ ſiue fonte manas,
Trepidante ſiue riuo
Fugis obſtrepens lapillis,
Fluis amne ſiue pigro:
Sonituque grandiore
Benedicat æquor illi.
Quot aquas ſecare pinnis
Didiciſtis ampla cete,
Quot aues ſecare pennis
Liquidas amatis auras,
Quot inambulare pictis

Pecudes

CANTICVM
IONAE Prophetæ.

Cap. 2.

CLamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me : de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meam.

Et proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me : omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

Et

ARGVMENTVM.

Soſpes è ventre ceti Propheta IONAS; PROVIDENTIÆ DEI EFFICACI hoc Anathema ex voto dedicat conſecratque.

TE prece conceptâ ſupplex in vota vocaui,
Alme Pater: quamuis iam merſus funere, quamuis
Iam pallente forem tumulatus piſcis in aluo;
Hoc tamen è barathro voces ad ſidera miſi,
Perrupitque mei cælum fiducia voti.
Nimirum mihi viſa fuit creſcente periclo
Creſcere ſpes pariter: nec enim retinentior iræ
Mortales audire negas ſua crimina faſſos.
Iuſta quidem, fateor, Pater eſt tibi cauſa rebelle
Cur caput hoc perdas. Merui quodcumque repoſcis
Supplicium, patiarque libens. His ibo procellis
Obuius, excipiamque hos toto corpore fluctus,
Has maris vltrices (quò tu me proijcis) vndas.
Nec ſatis Oceani me totius alta vorago
Expiet, infuſique reis ceruicibus omnes
Quotquot ab extremis regionibus orbis in æquor
Exonerant pronis ſeſe decurſibus amnes.

Et ego dixi: Abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.

Circumdederunt me aquæ vſque ad animam: abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

Ad extrema montium deſcendi: terræ vectes concluſerunt me in æternum: & ſubleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum: vt veniat ad te oratio mea, ad templum ſanctum tuum.

Qui

Et quiſquam tot opertus aquis emergere ſperet?
Sperauí tamen: & Duce te, Pater alme, futurum
Sum ratus, vt Solymas ſiſtam me rurſus ad aras.
Suffigamque redux ſacro donaria poſti.
* *Heic anathema tuo ponetur Nauis honori*
Aurea, quam fluctu ſuſpendent cærula cano:
Stabit & eductis in puppi ſortibus vrna,
Quæ prædamnatum caput hoc adiudicet vndis.
Addam (ſi tamen ars effingere nôrit in auro)
Quos adij caſus: tranſtris vt in æquor ab altis
Sum præceps datus; in ſummis vt pendulus hæſi
Vorticibus, donec iam deficiente lacerto
Me decimus depreſſit ad imas fluctus arenas.
Parte aliâ abruptæ prætexent littora rupes,
Et velut oppoſito prohibebunt vecte, potiri
Margine terrarum. Sed enim ſe tollet ab alto
Imperijs, Deus, acta tuis regina profundi
Bellua, deprenſum quæ me abſorbebit hiatu
Oris, inexpletamque vorax demittet in aluum.
Quas non inde preces, quæ non ſuſpiria, quæ non
Vota miſer fudi? Damnaſti tu quoque votis.
Namque Palæſtinæ piſtrix adnauit arenæ,
Et ſtitit in patrio poſt tres me littore ſoles,
Poſt totidem ſalſo ductas ſub gurgite noctes.
Hæc ego pro foribus Solymæi ſingula templi
Venturis ponam ſpectanda nepotibus. Olim
Forſitan occiduis huc ſe feret hoſpes ab oris,
Qui relegens oculis mea fata ſagacibus: Iſte,
Dicet, erat Chriſti tumulo ſurgentis imago.

* Tam graphicè Propheta caſus ſuos deſcripſit, vt tabellâ expreſſiſſe videatur. Quamquã nec pugnat cum Hebræorum legibus, Ionam ſoſpitem obtuliſſe Anathema, exemplo Dauidis appendentis ante Arcam Dei arma Goliati; & Iuditæ, vaſa bellica Holofernis; & pluriũm aliorum, vt Azotiorum, lib. 1. Regum.

Qui cuſtodiunt vanitates fruſtrà, miſericordiam ſuam derelinquunt.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro ſalute Domino.

At vos, inuiſum genus, hinc procul eſte
profani:
Nil mihi vobiſcum eſt. Superos ſit fallere
veſtrum:
Vota ſub ancipites veſtrum ſit fundere caſus,
Nec præſtare tamen depulſis illa periclis.
Non ego ſic doctus. Stabit ſua ſemper apud me
Gratia Cælitibus. Semper me ferre iuuabit
Acceptam Domino cantu, fidibuſque, ſalutem:
Immemorem voti ventura nec arguet ætas.



CANTICVM

Annae matris Samvelis.

1.Reg. cap.2.

EXultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo:

Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari tuo.

Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus: neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolite multiplicare loqui ſublimia, gloriantes:

Recedant vetera de ore veſtro: quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.

Arcus

ARGVMENTVM.

Impetratâ à DEO virili prole, ANNA SAMVELIS mater Hymnum hunc gratulabunda decantat.

TV decus omne meum: te mens exultat in vno:
Auſpice te, ſupreme Parens, ego cornua tollo
Celſiùs, inuidiâ riualis vt ilia rumpat.
Tu mihi, quæ longo fuerat ſuſpenſa pudore,
In tua iam tandem ſoluis præconia linguam,
Acceptamque doces vni tibi ferre ſalutem;
Quod ſtupeat Natura, iubens vt anilibus annis
E ſterili diſcant vtero procedere partus.
Scilicet his à te retrò reſponſa diebus
Certa tuli; ſupplex tacito cùm vota labello,
Conciperemque preces veterē Silonis ad Aram.
Dicta fides ſequitur. Quis enim te ſanctior alter,
Pollicitis qui facta ſuis cumulatiùs addat?
Sed neque, te præter, qui quod velit, id quoque poſſit,
Inuenies aliquem. Quidquid lubet, efficis vnus.
Vſque ſibi placeat per me licet æmula; nuper
Quæ vitio ſteriles auſa eſt mihi vertere tedas.
Non latuere Deum tumidæ conuitia linguæ,
Qui potis & clauſos animi deprendere ſenſus,

Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.

Repleti priùs, pro panibus ſe locauerunt: & famelici ſaturati ſunt.

Donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.

Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit.

Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſubleuat.

Suſci-

Arbitrijſque ſuis hominum componere curas.
Hic iaculo fidat, velocibus ille ſagittis;
*Alter * Ituræo temerè ſpem ponat in arcu:* * Ituræa regio vicina Trachonitidi.
Credo equidem. Stolidas alat hæc fiducia mẽtes.
Defeciſſe manus memini, quibus antè ſonanti
Ludus erat validè iaculari ſpicula cornu;
Robur & infirmos redijſſe frequenter in artus.
Vidi ego ſolantem ieiunia pane ſecundo,
Cui priùs immenſa ſuperarant horrea meſſes,
Largaque præbuerant genialem fercula victum.
Sæpè etiam, qui glande famem quandoque leuârat,
Contigit vt pingui ſiliquam mutaret ariſtâ;
Et ſatur in multam traheret conuiuia lucem.
Quid loquar, vt coniux priùs infecunda, marito
Poſt aliquot lætam ſobolem produxerit annos?
Aut vt florenti ſterileſcere cœperit æuo,
Quæ modò fundârat numeroſâ prole penates?
Et curare Deum dubitet mortalia quiſquam?
O! tantùm libeat ſpes illi credere noſtras,
Protinus ex animi procedent omnia voto.
Si grauis intentet præſentia funera morbus;
Non mihi pugnantes ideò languoribus herbas,
Mixta peregrinis non quæram pocula ſuccis:
Tu, Pater omnipotens, me limine mortis ab ipſo
Reſtitues, luciſque viam remeare docebis.
Si premat exercens duris me rebus egeſtas;
Abſit vt arceſſam quod Arabs congeſſerit aurũ:

E 5 *Tu*

Suſcitat de puluere egenum, & de ſterco-re eleuat pauperem:

Vt ſedeat cum principibus, & ſolium glo-riæ teneat.

Domini enim ſunt cardines terræ, & po-ſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit, & im-pij in tenebris conticeſcent: quia non in for-titudine ſua roborabitur vir.

Dominum formidabunt aduerſarij eius; & ſuper ipſos in cælis tonabit:

Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.

CAN-

Tu mihi proſpicies : nam te penes omnis opum vis.
Huic adimis, donas illi, cùm poſtulat vſus.
Excubias alij penetrent & limina Regum:
Quò Reges ambire parem, ſi purpura munus
Eſt, Deus alme, tuum? ſi quem placet euehis, imi
Sordibus è vulgi, ſolio ſublimis ab alto
Iura det vt populis, dominas ſumatque ſecures?
Nempe ſuper gemino qui cardine vertitur, Orbis
Te Dominum agnoſcit. Tibi tellus ſeruit ab ortu
Solis, ad Heſperium latè porrecta cubile.
Hîc facis efflorere pios, nam cura piorum
Eſt tibi præ reliquis: illos ad culmen honorum
Ducis inoffenſo per mille pericula greſſu.
Cum iuſtis tamen eſſe nihil commune nocentum
Turba ſibi nôrit: turpi ſed inuſta pudore
Ora tegat tenebris, & nocte recondat opacâ.
Quò recidit vis illa ferox? tremit ecce repentè
Impius, intonuit vox vt tua fulminis inſtar,
Quod quatit horrendo Libani pineta fragore.
Vltor ades: tecumque tuus qui iudicet orbem
Vnigena, è pronis deſcendat Filius aſtris
Miſſus in imperium mundi, tua, Chriſtus, imago;
Venturo Princeps inſtauret vt omnia ſæclo.

ARGV-

CANTICVM

EZECHIAE Regis Iuda.

Iſa. cap. 38.

EGo dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.

Quæſiui reſiduum annorum meorum. dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.

Non aſpiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis.

Gene-

ARGVMENTVM.

EZECHIAS Rex Iuda, è letali morbo ad vitam reuocatus, hæc DEO SOSPITATORI canit Soteria.

Languidus, & leti properatis obſitus vmbris,
Nec medicâ fatis eripiendus ope;
Siccine, dicebam, mediâ meus occidet horâ,
Dum pariter metâ diſtat vtrâque dies?
Ergo priùs quàm vita ſuos hæc compleat annos,
Ibit ad infernas non reditura domos?
O expectatum fruſtrà mihi longius æuum!
Mitte meam tandem ludificare fidem;
Quando iubet verax aliter me credere vates,
Et mihi vicinam nuntiat eſſe necem.
Non erit in terris vt te, Deus, adprecer vltrà:
Non tua delicias templa videbo meas.
Non ego vos poſthac hominum iucunda tuebor
Fecit ad effigiem quæ Deus ora ſuam.
Hæc equidem dulces ſine me cernetis amici,
Publica ſublato quos manet hoſte quies.
At libata mihi primoribus otia labris
Subtrahit, & paci mors inopina ſubit.
Quis modò nobilium ſolio ſuccedet auorum,
Spes quibus imperij facta perennis erat?

Vnicus,

Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de manè vſque ad veſperam finies me.

Sperabam vſque ad manè, quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea.

De manè vſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?

Reco-

Vnicus ; heu ! rapior ; ſimul & conuoluitur omnis
Regia,ſtans in me,deficienſque domus.
Sic ſua traducit ſecum tentoria paſtor,
Inſtabiles abiens conglomeratque lares.
Sic ſecat immiti creſcentem pollice telam,
Turbat & impatiens Sidonis orſa nurus.
Me miſerum! primo caput hoc quot manè dolores
Corripiunt,longo conficiuntque die?
Veſper adeſt ; nec adeſt cum veſpere meta dolorum,
Cunctaq;dum placidus corpora ſomnus habet:
Nocte meos totâ febris depaſcitur artus,
Imaque ceu Libycus conterit oſſa leo.
Mitior expecto ſi lux mihi poſtera ſurgat;
Poſtera ſed neſcit mitior eſſe dies.
Iugibus exigitur ſic noxque,dieſque,querelis;
Horaque ſingultu non vacat vlla meo.
Ne mihi clamoſa ſe pullus hirundinis æquet;
Ne querulis certet rauca columba modis.
Vberiùs,mihi crede,dolet quàm dicere fas eſt:
Plura fero,quàm me poſſe referre putem.
Ægra libet tantùm mihi tollere lumina cælo;
Si cælo forſan ſe ferat vlla ſalus.
Eia tuam , Pater alme , fidem ! cruciatibus impar
Vim patior,locuples ni mihi ſponſor ades.
Mira fides! dicto citiùs facis,omnis ab ægro
Prorſus vt excuſſus corpore languor eat.

Corpore

Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de manè vſque ad veſperam finies me.

Sperabam vſque ad manè, quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea.

De manè vſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?

Reço-

Vnicus; heu! rapior; ſimul & conuoluitur omnis
Regia, ſtans in me, deficienſque domus.
Sic ſua traducit ſecum tentoria paſtor,
Inſtabiles abiens conglomeratque lares.
Sic ſecat immiti creſcentem pollice telam,
Turbat & impatiens Sidonis orſa nurus.
Me miſerum! primo caput hoc quot manè dolores
Corripiunt, longo conficiuntque die?
Veſper adeſt; nec adeſt cum veſpere meta dolorum,
Cunctaq; dum placidus corpora ſomnus habet:
Nocte meos totâ febris depaſcitur artus,
Imaque ceu Libycus conterit oſſa leo.
Mitior expecto ſi lux mihi poſtera ſurgat;
Poſtera ſed neſcit mitior eſſe dies.
Iugibus exigitur ſic noxque, dieſque, querelis;
Horaque ſingultu non vacat vlla meo.
Ne mihi clamoſa ſe pullus hirundinis æquet;
Ne querulis certet rauca columba modis.
Vberiùs, mihi crede, dolet quàm dicere fas eſt:
Plura fero, quàm me poſſe referre putem.
Ægra libet tantùm mihi tollere lumina cœlo;
Si cœlo forſan ſe ferat vlla ſalus.
Eia tuam, Pater alme, fidem! cruciatibus impar
Vim patior, locuples ni mihi ſponſor ades.
Mira fides! dicto citiùs facis, omnis ab ægro
Prorſus vt excuſſus corpore languor eat.

Corpore

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Tu autem eruiſti animam meam vt non periret, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.

Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

CAN-

Corpore languor abit. Memori ſed condita mente,
Eius erit ſemper cauſa dolenda mihi.
Ah! quibus infelix mortales culpa periclis
Obijcit! exitio quàm mihi pænè fuit!
Sed placuit certæ tibi me ſubducere morti;
Sat fuit & parcâ corripuiſſe manu.
En qui viſus erat nuper letalis amaror,
Dulciùs Hyblæo iam mihi melle ſapit:
Dum Pater in blandi reuocas me luminis oras,
Adijcis & ſummæ tempora plura meæ.
Neu mea te rurſum peccata laceſſere poſſint;
Ocyùs aſpectu ſubtrahis illa tuo.
Forſitan hæc dicent taciti miracula manes,
Quos Erebi carcer nil miſerantis habet?
Aut erit vt laudet tumuli te pallidus hoſpes?
Cura ſit hæc viuis, cura ſit iſta mihi.
Venturi diſcent à me tua facta nepotes,
Neſciaque obſtrictàm fallere pacta fidem.
O Pater, hanc tantùm ſerues, tua munera, vitam:
Non alius plectro te meliore canet.
Luce meos omni, ſi faueris, audiet hymnos,
Quæ domus in Solymis eſt tibi ſacra iugis.

CANTICVM
HABACVC Prophetæ.

Cap.3.

Verſio Septuag. Interp. *Domine conſideraui opera tua, & obſtupui. In medio duorum animalium cognoſcêris: cùm appropinquauerint anni, cognoſcêris: cùm aderit tempus, demonſtraberis.*

DOmine audiui auditionem tuam, & timui.

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.

In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan:

Operuit

ARGVMENTVM.

Præſagiens HABACVC Propheta ſalutarem in terras MESSIÆ aduentum, hanc illi Panegyrim canit.

PEctoris arcanam ſermo mihi nuper ad aurem
Pertigit (æterni ſermo fuit ille Parentis:)
Vt ſenſi, vt timui, vt me ſtupor externauit?
Quæ didici? quàm mira? quod ô Sator optime rerum
Attonitis nouitate paras opus edere terris?
Ergo erit ille dies, quo te de Virgine natum
Excipiat durum puero præſepe cubile;
Et duo cæleſtes cingant animalia cunas?
O qui ſeruantur tantis natalibus anni,
Non expectatis properent erumpere fatis;
Incipiantque atra niueis decedere luces!
Hactenus irarum ſatis eſt. Miſeratio noſtri
Te capiat generis. Deus exoriaris ab Auſtro;
Sed facilis, ſed amans, blando ſed amabilis ore:
Quale ferunt præ ſe pueri quid amabile. pridem
O deſiderijs votiſque vocate piorum
Huc ades alme Puer melioris conditor æui!
Aſpice venturo domus vt tibi geſtit Ieſſe,
Vtque tuos Bethle ſuſpirat Ephratea vultus.
Par nihil his vidiſtis aui. Felicia quamuis

Operuit cælos gloria eius : & laudis eius plena eſt terra.

Splendor eius vt lux erit : cornua in manibus eius:

Ibi abſcondita eſt fortitudo eius : ante faciem eius ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes eius. Stetit, & menſus eſt terram.

Aſpexit, & diſſoluit Gentes : & contriti ſunt montes ſæculi.

Incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.

Pro

Sæcula iactetis, quando Deus affuit olim
Legifero, * *Parani ſuper ardua culmina, vati.* * Pharan mons.
Cernere erat nimio nutantem pondere montem,
Cùm reſidens, illo quo cælum Numine complet,
Incubuit pauidis Domini præſentia terris,
Et populo coram manifeſtâ in luce refulſit.
Auſus ad hanc propiùs Moſes accedere lucem;
Depaſci innocuis ſenſit ſua tempora flammis:
Dumque manu rutilans caput exploraret vtrâque,
Nata ſibi in læui deprendit cornua fronte.
Hac mihi nunc aliquid de maieſtate remitte,
Præſtrictos hominum quæ cogit hebeſcere viſus.
Neu fuge, prætentâ radijs cæleſtibus vmbrâ,
Diſſimulare tuum pueri ſub imagine numen.
Vtiliùs tua nempe latet, quàm prodit apertè
Vis Diuina; ſolet cui letifer eſſe ſatelles
Terror, & anteuolans mors nocticoloribus alis.
Mitteris in quantos, Puer ô cæleſtis, honores!
Nam ſimul ac firmata virum te fecerit ætas,
Protinus immenſum ſpatijs metaberis orbem,
Quantus erit; tuus omnis erit, ſine ſtrage, ſine armis:
Sola tui populos omnes reuerentia vultus,
Imperturbandâ compoſtos pace tenebit.
Auſter, & extremum Solis vtriuſque cubile
Mille tibi ſiſtent diuerſo tramite gentes,
Vt famulæ iuſſa accipiant. Te poplite flexo
Omnis adorabit Regum depreſſa poteſtas,

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio.

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es.

Fluuios ſcindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſijt.

Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.

Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram: & in furore obſtupefacies Gentes.

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

Percuſ-

Quæ priùs elato feriebat vertice nubes.
Namque quis æterno tibi ſe mortalis adæquet?
Quis certare paret? ſi quis tamen impia, ſi quis
Arma tuis auſit demens opponere ſignis;
Sentiet vltricis miracula ſplendida dextra,
Qualia ſunt aliàs æuo ſpectata priori.
Alter erit Gedeon, colliſis nocte lagenis
Qui Meroës iterùm turbet tentoria fuſca,
Diſſipet & ſolo Madianica caſtra fragore.
Nunniades iterùm mirabitur ire ſupinum
In caput, increpitos Domini ſermonibus amnes:
Solis equos iterùm tenſis tantiſper habenis
Stare; iterùm lunam medio conſiſtere curſu.
Territa prodigijs gens talibus impia diſcet,
Quàm valido Deus armipotens in bella lacerto,
Fulmineâ venias quàm formidabilis haſtâ:
Sacrilegas quanto labefactes robore turres,
Dum tibi terrarum iuſtam ſcelus attulit iram.
Hoſtibus illa tuis! nobis meliora, Deorum
Summe! quibus venias bonus ô felixque, precamur;
Deſque tuum euerſo Chriſtum ſuccurrere ſæclo,
Qui iuga depellat ceruicibus improba noſtris,
Immortale parans ſibi diro ex hoſte tropæum,
Quale Paratonio quondam de Rege tuliſti.
Hunc auſum tibi bella tuæque indicere plebi
Hauſit Erythræi refluo ſalis æquore vortex;

Percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.

Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendum me.

Exultatio eorum, ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito.

Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

Audiui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat:

Vt requieſcam in die tribulationis: vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.

Mentie-

Dum leuibus per ſumma rotis inuectus aquarum
Trans freta ducebas Hebræos victor ouantes.
O mihi grandiloqui tantum precor affluat oris,
Tantum æui, quantum ſat erit tua dicere facta,
Nate Deo! fas ô mihi ſit comperta referre,
Quæ ſuper hoſte tui ſtatues exempla furoris!
Quamquam animus meminiſſe fugit, quamquam ora loquentis
Obſtruit inſinuans imis ſeſe oſſibus horror.
Ecquis enim fando, tibi quæ dabit impius æquet
Supplicia? hoc, oro, dederis Pater, hoc Pater, vnum:
Sint mihi, ſintque meis popularibus otia tuta,
Vndique vicinis quando turbabitur agris.
Væ! modò qui ſtipaſque penus atque horrea gazis:
Tempus erit fruſtrata miſer cùm vota dolebis.
Siue coles ficum, ficus malè grata colenti
Infortunatâ vix proferet arbore groſſos:
Seu potior fuerit vitis tibi cura putandæ,
Ne mihi ne ſperes decerpere vinitor vuam;
Nulla tuis iſtinc veniet vindemia prælis.
Ah! tibi cui colles oleâ flauente feruntur;
Ah! metuo ne te lactet ſpe termes inani,
Illudat vacuis mendax neu bacca trapetis.
Quò mihi centenis glebas inuertis aratris,

Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.

Abſcindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præſepibus.

Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo IESV meo.

Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi ceruorum.

Et ſuper excelſa mea deducet me victor, in Pſalmis canentem.

Si damnata negat cereales area fruges?
Grandia namque quibus commiſeris hordea ſulcis,
Inde leges ſteriles infelix meſſor auenas.
Paſtores, quis vos gregibus fraudauit opimis?
Quippe nec orba lupus, leo nec præſepia fecit:
Contemptum vobis hæc abſtulit omnia Numen.
Me fortunatum! cui ſit Seruator IESVS.
Hac ope nil dubitans montes enitar in altos,
Flammea præuertens celeris veſtigia ceruæ.
Illi ego victori, teſtudine gratus eburnâ,
Carmina votiuum reddam genialia munus.

* *Agnoſcit D. Hieronymus in hoc Cantico frequentem eſſe perſonarum mutationem, adeoq; alternis cani putat.*

*CANTICVM

Triumphantis ECCLESIAE.

Iſa. cap. 26.

VRbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.

Aperite portas, & ingredietur gens juſta, cuſtodiens veritatem.

Vetus error abijt: ſeruabis pacem; pacem, quia in te ſperauimus.

Speraſtis

ARGVMENTVM.

Indúcuntur ab Isaia Prophetâ, Animæ piorvm, & Angeli beati, hoc Triumphale carmen in cæleſti Ieruſalem alternis concinentes.

ANIMÆ PIORVM.

Exilio datus eſt tandem modus. Ecce Sionis
Agnoſcunt nos alma ſuos pomœria ciues.
O Patria! ô Diuûm Solymæ domus inclyta! ſecit
Magna quidem de te ſparſus præconia rumor;
Inferiora tamen veris. Iam vidimus ipſi
Par vſquam nihil eſſe tibi, nihil eſſe ſecundum,
Cui Deus è ſolido murum ſe prabeat ære,
Sitque minas contra duplex munimen inanes.
Vos, genus æthereum, puræ ſine corpore mentes,
Ad Solymæ quibus eſt cuſtodia credita portas;
Huc reſupinatis nos intromittite valuis.
Excipite hanc gentem, cui Mens eſt conſcia Recti,
Quantum concretus patitur mortalibus error,
Qui modò cum membris abijt; purumque reliquit
Æthereum ſenſum, atq; auraï ſimplicis ignem.
Omnia iam nobis noua ſint: æternaque nullo

Otia

Speraſtis in Domino à ſæculis æternis, in Domino Deo * forti in perpetuum.

* *Thſur*, id eſt, *petra*.

Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit.

Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem.

Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.

Semita

Otia contingant poſthac turbanda tumultu.
Nec verò leuiora manent ſpem præmia noſtram,
Noſtra fuit quia fixa Deo ſpes omnis in vno.

ANGELI.

Veſtra fuit quia fixa Deo ſpes omnis in vno
Felices Animæ, referet ſua præmia victrix.
Nimirum ſolo quæ ſpes à Numine pendet;
Stat firmâ radice, nec vllo turbine nutat.
Qualis ſtructa ſuper ſolidi fundamina ſaxi,
Deſpicit Arx ventos, cœliq́ue obnititur iræ.
Non illos aries ſternet, non machina muros,
Non hominum vis vlla. Suam mirabitur hoſtis
Hic operam ludi; ſuffuſus & ora pudore,
Inde pedem referet iuſſis præcedere vaſis.

ANIMÆ PIORVM.

O miſeri! quotquot vel opum, vel inanis honorum
Spes reficit. Spes hæc in ventos omnis abibit.
Qualis in inſtabili cumulo ſidentis arenæ
Vrbs fundata (ſibi quamuis ſit condere cælo
Viſa caput) ſubito caſu labefacta fatiſcet.
Non illos aries ſternet, non machina muros:
Sponte ruent. Illic lapidum cernemus aceruos,
Vrbs vbi nuper erat; illudemuſq́ue ruinæ,
Vilibus vrgentes euerſa palatia plantis.

Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.

Et in ſemitâ iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ.

Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te.

Verſio Septuag. Interp. * *Quia lux præcepta tua ſuper terrâ, iuſtitiam diſcite habitantes in terrâ.*

* Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.

Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.

Domine

ANGELI.

Ne mihi, ne, quæſo, viles has dicite plantas,
Quæ priùs horridulum paſſu triuere virili
Iuſtitiæ callem. Quid tum, ſi callis haberi
Hic ſolet horridulus, dum per compendia ducat?

ANIMÆ PIORVM.

Duxit ad optatam nos per compendia metam
Hic, licet horridulus, callis. Non vlla viarum
Seduxêre pedes vmquam diuortia noſtros
Iuſtitiæ recto de tramite. Non iuga nobis
Vlla moram fecere, nec ancipites deſcenſus.
Scilicet ardor inexſaturabilis ille ſequendi
Te quocumque Deus per iter non molle vocabas,
Aſſiduis noſtros curis acuebat amores:
Seu radijs nos alma dies afflaret Eoïs,
Alternis ſeu nox tenebris inuolueret atra;
Vſque recurſabant animo tua iuſſa, præibant
Vſque tuæ leges fidâ veſtigia luce:
Certior vt Tyrias non per freta Tharſica puppes
Dux Cynoſura viæ ſeptemplice dirigat aſtro.

ANGELI.

Eligis infauſto quiſquis pede molle procacis
Ire voluptatis per iter; vernare videtur
Quod tibi nunc violis, mox experieris acutis
Sentibus & paſſim varijs horrere ſalebris.

Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi: & ignis hoſtes tuos deuoret.

Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis.

Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini

Quàm velles Virtutis iter tenuiſſe ſeuera,
Siſtêris rigidum quando reus ante tribunal
Iudicis æterni! Damnoſâ fuiſſe videbis
Tunc bona, te blandi quibus indulgentia cæli
Ornârat, ſciſſes illis ſi cautiùs vti.
Cultus at officijs neſciſti talibus vmquam
Diſcere iuſtitiam; circumflua copia rerum
Fecit vt obſtrueres aſper monitoribus aurem,
Qui ſanis te conſilijs ad Honeſta vocabant.
I nunc, ſperne Pios; cæli quibus annuit arcem,
Otiaque emeritis Deus omne fruenda per æuum.
Hæc tu, concilio excluſus cœtuque Piorum,
Non videas. videas tamen, illâ lege licebit,
Vt miſer inuidiâ magis ac magis ilia rumpas;
Dum tibi ſacrilegos ignis populabitur artus,
Qui te, qui cruciet ſimiles tibi Numinis hoſtes.

ANIMÆ PIORVM.

Numinis eueniant hæc hoſtibus: ô bona nobis
Pax ades, immortale Dei Pax aurea munus.
Omnia ſolus enim nobis confecta dediſti
Bella, Deus Ter-magne. Tuum eſt, quòd concidit hoſtis:
Quòd penes eſt nos palma, Tuum eſt. Nihil iſte, nec auſus
Nec potuit, ſine te propriâ virtute, lacertus.
O Pater, ô auctor noſtræ columenque ſalutis,

mini abſque te, tantùm in te recordemur nominis tui.

Sic in Cant. Iudith gigantes vocantur filij Titan.

Morientes non viuant, * gigantes non reſurgant: propterea viſitaſti & contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.

Indul-

Quamuis diuerſos tulimus (non ſponte, ſed armis
Compulſi) Dominos; tamen vnius vſque iuuabit
Nos meminiſſe tui: nomen tamen vſque iuuabit
Ferre tuum celebri ſuper omnia nomina cantu.

ANGELI.

Pompa venit ſolemnis; io venit ordine longo
Pompa Triumphalis. Manibus poſt terga reuinctis
Ante Dei currus graditur victoris eburnos,
Auſa giganteis olim Titania pubes
Aurea Cæleſtûm reſcindere templa lacertis.
Quàm diſpar, quàm mutatus hic cultus, ab illo
Qui fuit? Hæc centum ſtringuntur brachia nodis,
Quæ totidem nuper moderari ſceptra ſolebant.
O lætis ſeruare modum gens neſcia rebus!
Nónne fuit fortuna magis reuerenter habenda,
Dum fluere ex animi cernebas omnia voto?
Indefinito regnis dum limite regna
Addebat Deus, effuſâ tibi prodigus arcâ?
Num tamen aut acta grates, aut reddita thura?
Quin potiùs ſuſcepta tibi ſunt impia bella
In Superos. Nunc ergo Deo, pro talibus auſis,
Supplicium dabis, & crudeles improba pœnas:
Néve aliàs vmquam rediuiua reſurgere poſſis,
Molibus immenſis vrgebere: Tartarus altè
Quà patet in præceps, fundoque iacebis in imo;
Deradentque tuum faſtis obliuia nomen.

Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti: numquid glorificatus es? elongaſti omnes terminos terræ.

Domine in anguſtiâ requiſierunt te; in tribulatione murmuris, doctrina tua eis.

Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tuâ Domine.

Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum: ſalutes non fecimus in terrâ, ideò non ceciderunt habitatores terræ.

Viuent

ANIMÆ PIORVM.

Pompa venit ſolemnis; io venit ordine longo
Pompa Triumphalis. Nos, pars quotacumque Triumphi,
Ponè Dei currus ſequimur victoris eburnos
Fronde coronati viridantis tempora laurus,
Conſpicuique omnes quæſitis ſanguine palmis.
Quàm diſpar, quàm mutatus hic cultus, ab illo
Qui fuit? Has palmæ dextras Ierichuntides ornant,
Quas priùs aſperſit ſudor, pulviſque duelli.
Hoc pretium ſudoris. Amat ſudore parari
Auratis quæ læta venit victoria pennis.
Rebus & ipſe Pater duris mortalia corda
Erudit, & ſegni prohibet torpere veterno;
Nec facilem vult eſſe viam virtutis: ad illam
Non niſi per rerum diſcrimina ſumma ſubitur.
Vtque laborantes vtero cruciare puellas
Menſe ſolent decimo maturi pondera partus:
Difficiles nixus ſic nos habuere, priuſquam
Te, Pater Omnipotens, obſtetricante cupitum
Iuſtitiæ gravido pareremus pectore fœtum.
Quæ non damna ſumus, quæ non diſpendia paſſi?
Apponenda lucro tamen omnia duximus eſſe
Damna; nec auxilijs fuit à mortalibus vmquam
Futilis expectata ſalus: promittere ceſſa
Suppetias vah Terra tuas: venit Æthere ab alto

Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus; & terram gigantum detrahes in ruinam.

Noſtra ſalus; ſed vera Salus. Non illa Tyranni
Enſe cadit, quamuis ſoleat cecidiſſe videri;
Morte repubeſcit, ſed fatis maior, ab ipſâ.

ANGELI.

Morte Salus vobis eſt parta perennis ab ipſâ.
Nullus enim morti locus eſt, vbi vita libenter
Ponitur ob Veri faciendum pluris amorem.
Eſt, cui lucis amor ſit Honeſto charior: at vos
Æternâ ſtrictos pro laude ruiſtis in enſes:
Viſus vt in veſtram ſit ſegniùs ipſe Tyrannus,
Quàm vos ire necem. Feſſus fuit ille nocendo,
Pectora dum vobis ſunt indefeſſa ferendo.
Ingentes animæ! quibus immortalia poſthac
Corpora debentur: iacet, æternumque iacebit
Ille giganteâ qui ſe modò mole ferebat,
Nunc apud infernos tantùm leuis vmbra Tyrannus.
Altera vos at vita manet. Nunc ergo ſoporem
Excutite, Heroës, gelidiſque emergite buſtis.
Ecce Deus veſtros à funere ſuſcitat artus;
Ros velut ambigua ſub prima crepuſcula lucis,
Euocat in blandum torpentia gramina florem.
Non lapis obſtabit qui degrauat oſſa ſepulchro
Clauſa; remoliri dabit hunc Deus, ærea ſignum
Dum tuba ſurgendi reſonis clangoribus edet.

Vade populе meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.

Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet vltrà interfectos ſuos.

Intereà ſacrum cinerem tantiſper amico
Conde ſinu, tenerumq́ue illi ſubſterne cubile,
Terra parens; donec volet indulgere ſôpori.
Tempus erit (nec longa mora eſt) cùm Sole ſupremum
Dante diem terris, aderit qui crimina Judex
Arguat. Horribiles, eheu! quis Iudicis iras
Suſtineat vocemq́ue Dei? Perculſa tremiſces
Ceu tonitru tellus; gremioq́ue patente piorum
Depoſitos olim cineres, bibitumq́ue cruorem
Innocuum, cælo reddes, vitaq́ue perenni.

CANTICVM
Zachariae patris Ioannis Baptistae.

Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ:

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiu-

ARGVMENTVM.

Nato filio IOANNE, ZACHARIAS Sacerdos lætitiâ geſtiens, & ſoluto iam linguæ vinculo, in hoc Genethliacum carmen prorumpit.

VEnit io, venit Deus Iſraëlis; ab omni
Abſoluitque ſuam miſeratus fœnore plebem,
Cui priùs innumeris obnoxia manſerat annis.
Sit felix fauſtuſque ſuis: tibi, ſanguis Ieſſe,
Præcipuè, quo non Superis acceptior alter.
Quale tibi nunc imperium? quæ ſurgere cernes
Auſpice regna Deo? Tibi plenum Copia cornu
Deſuper inuergit. Tibi deſerit Æthera terris
Permanſura Salus, verſis ad proſpera fatis,
Quam modò maturus ſæclorum ſuſcitat ordo:
Quam fore concordi cecinerunt carmine vates,
Quotquot ad hoc priſco repetuntur tempus ab æuo.
O vicibus mutanda Dei ſententia nullis!
Olli ſtat ſeruare ſuos. Furtímve palámve
Quidquid agat, nihil hoſtis aget. Mors vnde profecta eſt,
Inde Salus nobis Stygio debetur ab angue.
Væ tibi, terrarum confidentiſſime prædo,
Non vltrà ſpolijs capti lætaberis Orbis.

En

Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis:

Vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi;

In ſanctitate & iuſtitiâ coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius:

En ſperata diu, patribus promiſſaque noſtris
Libertas, longo tandem poſt tempore venit.
Quodque pio Deus addixit iuratus Abramo,
En dedit illius nobis de ſanguine naſci
Chriſtum aſſertorem. Quo Vindice pulſa Tyrannis
Damnatas miſerâ ſoluat formidine terras:
Ingenuoque metum poſthac mutemus amore
Numinis, & ſanctos illi reddamus honores.
Tu quoque parue puer (ſed qui puerilia neſcis
Ex vtero Matris Domino ſacer) incipe ſummi
Alta Patris præcox myſteria pandere vates.
Vos hederam ſiluæ laurumque Ennonides illi
Deproperate, nouo munuſcula debita vati:
Tu, Iordane, ſuper populares adijce palmas.
Hoſpes enim venit iſte tibi: quo gloria tollet
Se tua: felicem quo te iactabis alumno,
Sit minùs vt grandi celebris Carmelus Eliâ.
Quis tibi ſe veterum, puer auree, conferat? illi
Hactenus abſentis deſiderio flagrarunt:
Tu digitum potes in præſens intendere Numen:
Tu Domino veniente præis; ſalebroſa viarum
Expediens, vt nullus obex remoretur euntem.
Qualiter ambiguæ dirimens confinia noctis
Aurora exoritur primi ſub lumina Solis;
Inſternitque roſis obeundum ſedula callem.

Exere,

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum:

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbrâ mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.



CAN-

Exere, Nate, tuam, quantũ potes, exere vocem;
Dic auidæ plebi: Coràm, quem quæritis, hic eſt
Qui peccata ſuo piet inſons veſtra cruore.
Tanta Deum generis cepit miſeratio noſtri,
E ſuperis ad nos vt ſe demiſerit oris
Iam noſtri ſimilis, iam maieſtate remiſſâ
Immundos hominum patiens incurrere tactus.
Sol ita purpureis oriens modò lotus ab vndis,
Innocuo fulgore micat; cupiduſque videri,
Temperat oblatos oculis mortalibus ignes.
Euge decus cæli, mundo lætabile ſidus;
Redde diem merſis ſcelerum ſub nocte, ſub vmbrâ
Errorum populis: vt obortâ luce retectum
Fas ſit iter Recti firmis inſiſtere plantis.

CANTICVM
SIMEONIS.

Luc. 2. cap.

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,

Quod paraſti ante faciem omnium populorum:

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

CAN-

ARGVMENTVM.

Voti compos factus SIMEON, accepto in vlnas puerulo IESV, cygneum hoc Melos ante optatam mortem canit.

HVius vſuram Deus alme lucis
(Quod bonâ fiat veniâ) reſigno,
Poſt tot ætatis tibi mancipatos
Hactenus annos.
Nox meis poſthac oculis ſuprema
Grata continget, quibus annuiſti
Pignus æternæ priùs intueri
Poſſe ſalutis,
Sanctus humanâ quod Amor figurâ
Veſtijt, ſolers Hominis Deique
Pace naturas ſtabili nouoque
Iungere nexu.
Scilicet cunctis populis vt eſſet
Obuius, nec difficilis parari,
Qui laborantes ope Soſpitator
Seruet amicâ.
Lumen ô quantum venit vniuerſis
Gentibus! pluris tamen æſtimanda
Surgit Iſraëligenis tuæque
Gloria plebi.

CANTICVM
Beatiſſimæ MARIAE Virginis.

Luc. cap. 1.

MAgnificat anima mea Dominum:

Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.

Et

ARGVMENTVM.

Supremam hanc Canticorvm paginam claudat, ſuper omnia Deo acceptiſſima Beatiſſimæ Virginis Mariæ Theodoxia.

Te mea magnificis animi mens efferat hymnis
Magne Pater: magnus nam mihi ſemper eris.
Semper eris mea ſola Salus, mea ſola voluptas,
Lætitiamque mihi non aliunde petam;
Quàm quòd ab excelſâ cæli reſpexeris arce
Hoc tenui natum conditione caput.
Nec quia debueram potiùs tibi ſerua videri
Poſtremæ famulas inter habenda notæ;
Es ratus indignum tibi, Rex ſupreme, fateri
Sic oculis humilem me placuiſſe tuis.
Simplicitas tibi viſa fuit mea digna fauore.
Nam ſcio te multùm ſimplicitate capi.
Omnibus hoc felix perhibebor nomine terris,
Ibit & in laudes quilibet ordo meas.
Vtque Dei ſaluo genitrix ſim facta pudore,
Non timidâ credent poſtera ſæcla fide.
Scilicet indulſit mihi maxima maximus auctor,
Qui cælo, quæ vult, cuncta ſoloque poteſt.
Huius ego ſanctum, donec mihi vita manebit,
Imparibus tollam nomen ad aſtra modis.

Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis : & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula.

Huius ego fuerit clementia quanta, docebo;
Quantus in hos, ipſum qui reuerentur, amor.
Aſſeruit Vindex omni quos ſemper ab æuo;
Juſſit & in medijs nil trepidare malis.
Siue minas, ferrum ſiue intentauerat hoſtis;
Nil valuit ferrum, nil valuere minæ.
Obuia diſiecit forti Deus arma lacerto,
Subruit & validas funditus hoſtis opes:
Afflixitque ſolo tumidi diadema Tyranni,
Eius vt in ſolium ſufficeretur inops.
Diuitis iuit inops ſic in bona dignior heres;
Sic eguit, diues qui ſibi viſus erat.
Felices, quibus eſt ſummi tutela Tonantis!
Quos Domini conſtans protegit vſque fauor!
Tu tamen Iſraël felicior omnibus audis,
Muneribus cæli facte beate nouis;
Dum Deus humanos ex te ſibi ſuſcitat artus:
Deêrat adhuc titulis gloria tanta tuis;
Quamuis illa pio promiſſa fuiſſet Abramo
Sæpiùs, & totidem, quot numeramus, auis:
Vt memor eſt pacti, largo cum fœnore, poſt tot
Sæcla, datam Dominus liberat ecce fidem.

FRANCISCI MONTMORENCII E SOCIETATE IESV PARAPHRASIS POETICA PSALMORVM VII.

QVIBVS POMPAS TRIVMPHORVM AVT SACRORVM DAVID REX CELEBRAVIT.

CANDIDO LECTORI S.

Svbiungimus Canticis in hac editione poſtremâ, ac per modum Appendicis damus, Septem hos PSALMOS quibus Rex DAVID ſolemnes Triumphorum, Nuptiarum, Sacrorum pompas miro Lyrici carminis artificio decantauit. Materia his eadem eſt cum CANTICIS: ſi CANTICA (vt vult beatus Auguſtinus) læto ſemper conſtare debent argumento. Titulus inſuper vtriſque communis; cùm eiuſmodi PSALMI promiſcuè CANTICUM PSALMI, vel PSALMUS CANTICI nuncupentur.

Vario genere carminum has Epipompeuticas Odas expreſſimus: Glyconio, Epodo, Anacreontico, ac Sapphico Pomparum Choris accommodatiſſimo verſu; & qui peritis auribus Hilarem illum Rhythmum referat, quem veteres *Lesbium pedem* dixerunt, vulgus noſtratium *quinque paſſus* appellat. Et verò ſi periculum facere lubeat, reperies

Strophen

Strophen Sapphicam ad vnguem ſaltationis eius numeris reſpondere. Sic intelligendus, aliorum pace, mihi videtur Flauius Ioſephus, dum libro ſeptimo Antiquitatum Dauidem memorat bellis defunctum Triumphales aliquas Odas Pentametro, id eſt Sapphico verſu condidiſſe. Non enim adduci poſſum vt credam, Ioſephum hîc loqui de Pentametro illo carmine, quo flebiles Elegi terminari ſolent. Odas ſcripſerit Dauid Elegiaco charactere? Ridiculum. Hoc etiam, vt opinor, innuit Præfatione in librum Iob, Diuus Hieronymus; qui Ioſephi & Philonis fretus teſtimonio, Dauidem affirmat in morem Alcæi & Sapphus Lyrico metro decurrere, interdumque Græci Pindari ad inſtar aſſurgere; dum ore profundiori, & Dithyrambico ſpiritu, Hymnos Dei Maieſtati votiuos perſoluit. Maiorem tamen à nobis ſanctus Hieronymus inijſſet gratiam, ſi rationem aliquam metiendi carminis Hebraici paulò accuratiùs tradidiſſet. Quotuſquiſque enim hac noſtrâ tempeſtate verum Hebrææ Poëſeos artificium intelligit? Fatetur ipſe Cardinalis Bellarminus in ſuis Inſtitutionibus ad Linguam Sacram, penitus iam ignorari veterem illam Hebraicam Muſam; quæ tota cæleſtis, & germana Dei filia, ab ipſius Numinis inexhauſto fonte promanauit.

In

In eo nunc ſum , vt aliqua eius veſtigia per altiſſimum obliuionis puluerem impreſſa , tentabundus explorem. Faue Lector beneuole,

——— dum tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, ſacros auſus recludere fontes;
Hebræumque cano Romana per oppida carmen.

INDEX

INDEX PSALMORVM.

POMPA NVPTIARVM CHRISTI CVM ECCLESIA SVB SALOMONIS TYPO.

Eructauit cor meum verbum bonum.

PSALMVS XLIV.

POMPA INAVGVRATIONIS SALOMONIS IN REGEM.

Deus iudicium tuum Regi da.

PSALMVS LXXI.

POMPA TRIVMPHI DAVIDICI DE PALÆSTINIS.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

PSALMVS XIX.

POMPA TRIVMPHI
DAVIDICI DE AMMONITIS.

Domine in virtute tua lætabitur Rex.

PSALMVS XX.

POMPA TRIVMPHI
DAVIDICI DE SYRIS
ET ALIIS HOSTIBVS.

Benedictus Dominus Deus meus,
qui docet.

PSALMVS CXLIII.

POMPA SACRORVM
CVM DVCERETVR IN ARCEM SIONIS
ARCA DEI.

Exurgat Deus, & diſſipentur
inimici eius.

PSALMVS LXVII.

POMPA ALTERA SACRORVM.

Quàm dilecta tabernacula tua.

PSALMVS LXXXIII.

ILLVSTR. AC REVERENDISSIMO
PETRO-LOYSIO
CARAFÆ
EX DVCIBVS NVCERIÆ
EPISCOPO TRICARICENSI
AC SEDIS APOSTOLICÆ
AD RHENI LIMITEM
LEGATO
ROMAM POSTLIMINIO REVERTENTI
PROPEMPTICON.

VT redeas, voueo, fauſto cum Numine Romam
Præmia laturus meritorum digna, LOYSI-
PETRE *Carafæus ſanguis. Quàm gratus in Vrbem,*
Quàm proſper venies? quo te Romanus amore
Excipiet reducem PATER, *& quo Curia plauſu,*
O PAVLI *rediuiua, tui gentilis, imago?*
En erit Heroo mihi fas quandoque cothurno
Per populos vulgare tua præconia laudis?
Intereà dum ſpe tantos attollor in orſus,
Hæc, ſine, te numeris leuioribus Oda ſalutet.

PSAL-

PSALMVS LXIV.

TITVLVS

CANTICVM PRO * DILECTO.

** Iedidoth, in Hebræo vox eſt multitudinis, terminationis femineæ, innuens puellas quæ de more Epithalamium canebant.*

ERuctauit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.

Speciofus forma præ filijs hominum, diffuſa

ARGVMENTVM.

Psalmvs hic, carmen eſt epithalamicum, quo nuptiæ Christi cum Ecclesia, ſub Regis Salomonis typo, celebrantur à choro Virginum obuiàm Sponſo & Sponſæ prodeuntium. Canticum hoc Davidis, vt materiâ & antiquitate, ſic artificio & ſuauitate, longè ceteris profanorum Poëtarum carminibus Nuptialibus antecellit.

* *MEns ardore nouo calet,*
Pares connubialibus
Pompis dum meditor modos,
Sponſo carmina dum paro
Nuptialia Regi.

* Similis propemodum eſt argumenti Canticum Canticorum Salomonis.

Lingua prætrepidans auet
Anteuertere feruidi
Acres pectoris impetus,
Sponſo carmina dum paro
Nuptialia Regi.
Nil moror calamum, nihil
Scribæ præcipitem manum:
Voce ſed liquidâ iuuat
Sponſo carmina dicere
Nuptialia Regi.
O quem te rear? os enim
Non mortale tibi eſt, neque

diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime,

Specie tuâ, & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna,

Propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

* *Hyperbaton.*

Sagittæ tuæ acutæ, * populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni tui.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem:

Sonat vox hominem tua.
Et quis, Sponſe, velit tibi
Se componere formâ?
Quis certare tuis genis,
Tener regnat vbi pudor?
Quis certare tuis labris,
Blanda regnat vbi Charis?
Hinc è millibus vnum
Te ſibi Deus eligit,
Te cunctis mage diligit.
Oris nempe tui decor
Dignus imperio eſt: neque
Deeſt maſcula virtus.
* *Mucro teſtis erit tuo*
Appenſus femori, tuiſque
Arcus ex humeris ſonans;
Quàm certâ calamos manu
Spargis, acer in hoſtem.
Sed nec mucro, nec impiger
Arcus, ſic populos tibi
Latè ſubdet; vt Æquitas,
Et Clementia flectere
Legum ſueta rigorem,
Incorruptaque Veritas
Sceptri fida tui comes.
His virtutibus enites
Oſor criminis; his tua
Surrexere curules:
Ipſe quas Deus approbans

* Gladius & arcus perfectæ panopliæ ſymbolum ſunt.

 Æternâ

tem : propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate.

Audi

Æternâ ſtabilit fide.
Qui te prætulit æmulis
Vnum principibus; ſacro
Qui te tinxit oliuo.
* *Hinc tuis fluit è comis*
Myrrhæ nimbus, & extimæ
In oram chlamydis cadit
Stactes & caſiæ pari
Temperatus odore.
Hinc veſtis tua nobili
Halat omnis aromate,
Scrinijs quod eburneis
Seruarunt tibi Virgines
Regum ſanguine cretæ,
Vnguentatus vt ambules
Feſtas per Solymæ vias
Dictâ coniugio die:
Dextrum ſponſa tibi latus
Quando regia claudit
Auro picta ſinus, obit
Quos limbus Phrygiâ modis
Illuſus varijs acu.
Sic interuiret humidis
Micans nubibus arcus,
Et diſcriminat ætherem
Sectum mille coloribus.
Ille ſidera ſupputet,
Qui cultus numerare vult
Et monilia Sponſæ.

* Alluſio ad illud Pſal. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* vt meritò oleum effuſum Chriſti nomen ſit.

Audi filia & vide , & inclina aurem tuam : & obliuiſcere populum tuum , & domum patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus , & adorabunt eum.

Et

Sis inſtructa licet ſatis
Alma Virgo; mihi tamen
Adhuc pauca monebere.
Fac memor mea ſub tuo
Dicta pectore condas.
Poſthac & genus, & tuam
Obliuiſcere patriam,
Natalemque patris domum,
Nec te cura ſodalium
Tangat vlla tuarum.
Tibi, credo, moleſta res
Accidet, popularibus
Abſtinere: ſed abſtine.
Arte non aliâ magis
Demerebere Sponſum.
Qui tuis face mutuâ
Reſpondebit amoribus:
Tibi totus & imminens
Adhærebit; vt aſſitas
Lenta vitis ad vlmos.
Ipſe ſit Dominus tibi,
Ipſe præſidium, & Pater,
Dei denique ſit loco.
Opis nullius indiges
Tali freta marito.
En tibi bipatentibus
Valuis ſe reſerat tui
Fortunata viri domus.
Transfer aureolos pedes

Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis.

Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.

Affe-

Limen, [a] *omine fauſto.*
Omnis hæc tibi ſeruiet
Potens Aula: crepantibus
Ecce te foribus vocat.
Transfer aureolos pedes
Limen, omine fauſto.
Expectant Tyriæ tibi
Vt dent munera virgines,
Moras corripe; poſceris.
Transfer aureolos pedes
Limen, omine fauſto.
Iam minor genibus ſuas
Tibi promet Arabs opes.
Moras corripe; poſceris.
Transfer aureolos pedes
Limen, omine fauſto.
O quæ gloria! quod tibi
Inde proueniet decus!
Quamuis laus tua ſat ſuis
Eſt contenta bonis, ſat eſt
Morum dote beata;
Pluris hanc ego fecerim,
Quàm, quas deproperat tibi
Telas Aſſyrius labor
Filis molliter aureis
Textas arte magiſtrâ.
I Virgo pede candido,
[b] *Vittataſque ſubi fores:*
En Heroïdes aſſeclæ

[a] Omen ſic dictum quòd ore fiat, vt inquit Feſtus, & Varro; & Cicero lib. 1. de Diuinat. *Deorum*, ait, *voces obſeruabant. Pythagorei, quas omina vocabāt.* Sed quod illi ſuperſtitiosè, hoc legitimè obſeruarūt Hebræi, os veri Dei conſulentes in nuptijs, vt docemur Geneſ. 24. cap. *En Rebecca coram te eſt, ſit vxor filij domini tui, ſicut locutus eſt Dominus.*
[b] Sponſi poſtes vittis coronabantur.

Afferentur in lætitiâ & exultatione: adducentur in templum [a] Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

[b] Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.

Propterea populi [c] confitebuntur tibi in æternum: & in ſæculum ſæculi.

a *Templi nomen generale eſt: pro locis enim quibuſcumque magnis antiqui templa dicebãt. Tẽpla dicta quaſi tecta ampla. Iſid. 15. Etym. c. 4.*

b *Hieronymus, Symmachus, Theodoretus legunt numero ſingulari,* Memor ero, *&c. Dicendum itaque, verba hæc eſſe Vatis pollicentis æternitatem, his nuptijs Sponſi, ſuis carminibus.*

c *Obſeruat Chryſoſtomus, Pſalmum hunc deſinere ſicuti cœptus fuerat per laudes Sponſi.*

PSAL-

Se veſtigia poſt tua
Siſtunt Regis ad aulam.
Qui plauſus? quis iö fauor
Gratantis populi, ſacra
Ad palatia proſpero
Quando proueheris gradu
Tot ſtipata puellis?
O felix ter & ampliùs
Sponſa! quam ſobolem tibi
Auguror fore, quæ vice
Patrum per populòs dabit
Olim iura volentes?
O par nobile coniugum!
Meo vos ego carmine
Numquam præteritos ſinam:
Seris veſtra nepotibus
Vſque nomina tradam.
Gangis vltimus accola
Attentis bibet auribus
Hæc, non interitura quæ
Sponſò carmina profero
Nuptialia Regi.

PSALMVS LXXI.

TITVLVS

* Hieronymus propriè dixit ex Hebræo, Salomoni: *ſupple, dictus aut congruens Pſalmus.*

* In Salomonem.

DEus iudicium tuum Regi da : & iuſtitiam tuam filio Regis:

Iudicare populum tuum in iuſtitiâ , & pauperes tuos in iudicio.

Suſcipiant montes pacem populo : & colles iuſtitiam.

Iudi-

ARGVMENTVM.

Poſtquam rex DAVID filium SALOMONEM, MESSIÆ typum, ſummâ totius populi gratulatione, ſolemniter in Regem inauguratum vidit; illi ſpiritum Iudicij, ac fauſta omnia à DEO precatur hoc ſeptuageſimo primo Pſalmo. Is præter ceteros viſus eſt mihi opportunus, quem modò ſub auſpicatum Sereniſſimi Cardinalis FERDINANDI Hiſpaniarum Infantis ad ſuos Belgas aduentum, pari lætitiæ ſenſu vſurparem, pari votorum ardore Optimo Principi conſecrarem.

DA Deus, vt terris æquali iura tenore
Rex plures dicat in annos.
Da quoque, per patrias vt Regis filius artes
* *Tenero formatus ab vngui*
Fas æquumque colat. Tua ſit ſapientia praſtò
Iuueni quem mittis in amplum
Imperium: leges populis ferat ille ſalubres
Quibus aduenit omine fauſto
Publica per procerum lectus ſuffragia Princeps.
O! mons dilecte Sionis
Excipe formoſum plauſu Salomona ſecundo,
Nineam ſimul excipe Pacem,

* Salomon à pueritiâ ſanctiſſimè educatus à Propheta Nathan: quo etiam adnitēte, & alijs Regni Proceribus, deſignatus eſt à Dauide patre in ſucceſſorem Regni. Lib. I. Paralip. c. 29. & lib. 3. Regũ c. I.

Regius

Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.

Regem recèns inauguratū deſcribit, aduentu ſuo ſubditos recreantem, & beneuolentiſſimè ab ijs exceptum, ſicut imbrem ſerotinum ab herbâ detonſâ, quæ Hebræis eſt vellus.

* Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Orietur in diebus eius Iuſtitia & abundantia Pacis: donec auferatur Luna.

Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Coram

Regius hic blando iuuenis quam nomine præfert.
Hoc fretus Iudice pauper
Non metuet motas vicino à diuite lites,
Non exitiale tribunal.
Non gemet iniuſto miſerum ſub fœnore vulgus.
En arbiter æquus egenos
Qui leuet, inſontes abſoluat, ſubruat aſtus
Quos dira Calumnia ſtruxit.
Aurea prouenient illius ſæcula regno:
Regno quod finiet idem
Terminus æternos Solis qui ſopiet ignes,
Qui Lunæ lampada condet.
O qualem Solymæ ſe Princeps mœnibus infert?
Quas in ſpes erigit vrbem?
Talis in arentes optatus decidit imber
Cancri ſub ſidere glebas:
Talis Ituræam tranſmiſſa canalibus vnda
Riuo beat vbere vallem.
Dicite Iö viuat! bis Iö Iö dicite viuat!
Salomoni plaudite turba;
Auſpice quo, terris Virgo redit arbitra legum,
Redit almo Copia cornu,
Et Pax, non alio poſthac turbanda tumultu
Quàm quo vaga machina cæli
Soluetur, quo ſtellarum regina bicornis
Statione reuulſa fatiſcet.
Illius Imperij, medium quod Tigris oberrat,
Prætexit & vndique pontus,

Non

Coram illo procident Æthiopes : & inimici eius terram lingent.

* Reges Tharſis & inſulæ munera offerent : Reges Arabum , & Saba dona adducent.

* *Vox* Tharſis *non mare, non Tharſum Ciliciæ, ſed Hiſpaniam, & vltra eam Indias ſignificat, quò frequens itio & reditio Phœnicum nautarum. Fuſiùs id probat noſter Pineda.*

Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes Gentes ſeruient ei.

Quia liberabit pauperem à potente : & pauperem, cui non erat adiutor.

Parcet

Non minor eſt toto modus aut anguſtior Orbe.
Par claudit limes vtrumque.
Et quis hüic armis certet? quis tantus, vt hoſtis
Poſſit Salomonis haberi?
Si tamen Æthiopes, illi ſi fuſca Syëne
Auſint indicere bellum,
Protinus Æthiopes, & protinus atra Syëne
Vertent formidine terga;
Afflictique ſolo, proiectis turpiter haſtis,
Ponent in puluere collum.
Muneribus Reges quanto ſapientiùs amplis,
Seu quos Hiſpania, ſeu quos
Tharſus habet, cupiet benè de Salomone mereri,
Et vectigalia pendent!
Mittet ab Eois Ophire fornacibus aurum,
Gemmas opulentus Hydaſpes,
Indus ebur: venient Arabum de mollibus hortis
Crocus, & qui balſama ſtillat
Leniter inciſus pretioſo vulnere cortex:
Myrrham donabit Orontes;
Diues ab Antarcto meſſem Regina Sabaam
Nabathaaque germina promet.
Denique quotquot erunt à Gadibus vſque ſupremis
Ad Caſpia littora Reges,
*Huius adorandis libabunt * oſcula plantis:*
Huic ſeruiet vltima Thule.
Sic tamen à tumidis metui volet ille Tyrannis,
Vt longè malit amari

* Hinc dicta adoratio, quòd ore ſeu oſculo fieret.

Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet.

Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

[a] Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & [b] adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.

Et erit [c] firmamentum in terra in ſummis montium, [d] ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut [e] fœnum terræ.

Sit nomen eius benedictum in ſæcula: ante Solem permanet nomen eius.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

a *Verbum* viuet, *accipi poteſt numero plurali* viuent: *ſcilicet pauperes, quibus Rex annonam & aurum Arabiæ diſtribuet.*

b *In noſtrâ lectione cõpoſitum* adorabunt, *accipi debet pro ſuo ſimplici: ſic legit Auguſt. & Hieron. contra Iouian.* orabunt pro eo ſemper.

c *Chaldæus Paraph. legit,* ſubſtãtificus panis; *iuxta illud Pſ.* 104. Et omne firmamentum panis contriuit.

d *Hunc verſum ſic exponit Rabbi Ioſeph apud Pagninum:* Seminabit agricola fruges etiam in vertice montium; & ſpicæ trement & fluctuabunt vento in eas flante ſicut arbores Libani.

e Fœnum terræ, *eſt herba; cuius inſtar germinabit frequens ciuis in vrbibus.*

Bene-

A tenui(qua Regis erit Clementia)plebe.
» Ars eſt hæc ſcilicet illi
» Parcere pauperibus, frænoq́; domare ſuperbos.
Patriæ Pater audiet inde,
Et ſtatuis ſe ſubſcribi patietur ahenis
Inopum commune leuamen,
Quos dape, quos Arabum gazis cumulabit &
auro.
O tali Principe felix
Pro Salomone manus cælo plebs tolle ſupinas:
Caleant altaria thure.
Efficiet rata vota Deus; carumq́ue Sioni
Caput hoc ſernabit in æuum.
Abramidaſq́ue pios vbertas læta reuiſet
Spicis redimita capillum.
Farra metet ſummis in montibus orta colonus
Vbi ſeuerat antè cupreſſos;
Intactoſq́ue priùs ſplendenti vomere ſaltus
Flauis obducet ariſtis.
Cernere erit tremulum culmis vndare Taborũ
Dum ſibilus inſtrepet Euri:
Qualiter aduentu Boreæ frondoſus inhorret
Libanus, vel buxifer Hermon.
Iſaciam quanto ſobolem mirabimur auctu
Aſiæ creuiſſe per vrbes?
Non ita per virides adoleſcunt gramina ripas
Vitreum Iordanis ad amnem.
Tam fortunati qua tellus Principis vſquam
Titulos nomenq́ue tacebit,

 Quod

Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus:

Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat.

Quod nec longa dies poterit,nec liuor iniquus,
Nec edax abolere vetuſtas?
Exoriare NEPOS *mihi qui deberis ab illo,*
Vt libertate redones
Humanum quandoque genus. Spes illa ſalutis
Supereſt mortalibus ægris.
Hanc ego non-vanus populis denuntio vates,
Mihi quam Deus indicat ipſe
Abramidûm Deus; attonito qui talia ſolus
Edit miracula mundo,
Maieſtate ſui qui numinis omnia complet,
Terraſque æthramque liquentem.
His mea pro meritis illius dicit honori
Votiuum barbytos hymnum.

PSALMVS XIX.

TITVLVS

In finem Pſalmus Dauid.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto : & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificij tui : & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat,

ARGVMENTVM.

Populi votum pro Principis Victoriâ. Votum id eſto Belgarum applaudentium Sereniſſimo Cardinali FERDINANDO Hiſpaniarum Infanti, de Batauis, & alijs hoſtibus Triumphanti.

ANnuat quæ tu petis, aduocatum
Supplici voto tibi ſæpè Numen.
Ille te Cuſtos in acuta belli
Seruet euntem
Proſper Hebræis Deus: ille fidâ
Mittat aſpirans ope prælianti
E Sionæâ tibi fulgurantes
Æde Cherubos,
Qui ſupinatas nimio timore
Hoſtium fundant acies: tibique
De triumphali properent virentem
Fronde coronam.
Mente ſi caſtâ, manibuſque puris
Creber ad ſacras operaris Aras,
*Si facis centum * redeunte Lunâ*
Ritè iuuencis,
O Dei, Princeps, amor! ire perge,
Perge iuratum Solymis in hoſtem:
Excubant pro te, vigilantque curâ
Fata perenni.
Quid times, cælo tibi militante,

* In die Neomeniæ.

 Exitus

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri * magnificabimur.

* *Pro* magnificabimur, *Hebræa dictio magis ſignificat* vexilla erigemus; *hoc eſt, triumphabimus.*

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus CHRISTVM ſuum.

Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

Ipſi

Exitus ut res habeat ſecundos?
ConſilI cur ambiguus retractas
Optima cœpta?
Perge per laudis iter inſtitutum.
Aureis Victoria prapes alis
Te volat circum. ter Iö Triumphe
Dicite ciues.
Vos, ſimul mecum iuuet ad Sionis
Templa ſolemni properare pompâ.
Vos ego gratum Superis doceba
Reddere carmen,
Et modos ſiſtro faciam loquaci:
Quem choris vates ego temperabo,
Virgines ſeruate pedem, meique
Pollicis ictum.
* *Nunc preces credam valuiſſe noſtras,*
Soſpitem quando, Deus alme, Regem
Aſſeris: vindex inimica quando
Agmina ſternis.
Vt volet, turbâ numeroque fidat
Barbarus, per me licet: explicatos
Ordines binis eques hinc & inde
Veſtiat alis:
Sit ſuis Ammon tumidus quadrigis:
Non equi, non tot vetuere currus,
Quin catenatos Dauid in Triumphum
Duceret hoſtes.
Nos, quibus teli tuus inſtar omnis
Eſt fauor; pugna vehementioris

* Formula actionis gratiarum.

* *Græcis* συνεποδί-σθησαν, *quod eſt* compedibus ligati.

Ipſi * obligati ſunt, & ceciderunt : nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Domine, ſaluum fac Regem : & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Inter ardorem, medios tumultus
Inter, ouamus.
Semper vt Regem tuearis, orant
Integris miſtæ pueris puellæ:
Integris miſtas pueris puellas
Commodus audi.

PSALMVS XX.

DAVIDIS REGIS.

TITVLVS

[a] In finem.

a A principio Pſalmi in finem, perpetua eſt ad Deum Apoſtrophe.

b Non abſimile metri genus inuenies apud Horatium, Lyric. lib. 1.

c Alluſio ad coronam illam quæ ablata de capite Regis Ammonitarum, impoſita eſt capiti Dauidis; vt videre eſt 2. lib. Reg. c. 12. cuius & meminit Flau. Ioſephus.

[b] DOmine in virtute tuâ lætabitur Rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius [c] coronam de lapide pretioſo.

Vitam

ARGVMENTVM.

Hic vigeſimus Psalmvs, eſt gratulatio pro ſalute Regis, & victoriâ de Ammonitis & Syris obtentâ, ſi iuxta litteram accipias: ſin verò iuxta ſenſum ſpiritalem magis placet intelligere; David Pſalmi auctor meritò dicendus eſt in Christi victorias reſpexiſſe. Nobis certè ſit idonea gratulandi formula, quâ pro relatâ nuper ab Inuictiſſimo Hungariæ & Bohemiæ Rege Ferdinando ad Nortlingam de perduellibus Victoriâ, vota Deo exercituum perſoluamus.

Rege quòd incolumi lætum Pæana canamus,
Cecidit quòd Barbarus hoſtis,
Muneris eſt, Deus alme, tui: Te nempe ſecundo
Rex ampla trophæa reportat,
Appenditque tuam votorum compos ad Aram;
Rata qui facis illa, priuſquam
Penè verecundo fuerint concepta labello.
Dauidi Tu, quidquid honoris,
Quidquid habet regni, patrio largiris amore.
Illi tua dextera præſens
Gaudet Hydaſpæis incendere tempora gemmis,
Triplicique ambire coronâ.

Das

Vitam petijt à te : & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum , & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo : gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam Rex ſperat in Domino : & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Pones

Das ſuper his annos, immortalemque ſenectam,
Et inexpugnabile robur.
Néve quid ad cumulum deſideret ille fauoris,
Certiſſimus efficis auctor
Illius innumeris vt gloria fulta Triumphis
Lauros conſumpſerit omnes;
Nec ſatis inueniat palmarum diues Idume
Regem quibus ornet ouantem.
Quid ſibi prætereà ſupplex Dauid ampliùs optet
A te tot honoribus auctus?
Aut noua cur poſcat benefacta prioribus addi,
Maioráve gaudia ſperet?
Felix ô nimiùm fœlix, te ſemper in vno
Quoniam ſpes collocat omnes!
Non illum quatiunt creperi diſcrimina belli,
Non acres vndique motus.
Sic Parani cautes ventorum obnititur iræ,
Tempeſtateſque ſonoras
Imperturbato ſecura cacumine ridet.
Nec Arabs, nec belliger Ammon,
Nec Dauidem contrà quidquam Syrus audeat hoſtis.
Tuus hæc metet agmina mucro
Barbaricis altè fibris iuguloque receptus.
Hæc eſt tibi debita laurus.
O Pater! vſque tuo defenſum Numine ſerua
Per mille pericula Regem:
Et coniuratas Solymam ſubuertere gentes
Valido diſperde lacerto:

Has

Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filijs hominum.

Quoniam declinauerunt in te mala; cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire.

Quoniam pones eos dorſum: in * reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

* *Hieronymus legit*, funes tuos præparabis contra facies eorum, *vt velut indagine cingantur impij, ne vltionem diuinā poſſint euadere.*

Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

PSAL-

Has furor abſumat tuus, inuoluatque perenni
Velox Vindicta ruinâ:
Ignis vt erumpens ſuper exundante camino
Vorat alta brachia ſiluæ.
Impia colluuies ſic funditus exſcindatur,
Vt ſemina nulla relinquat,
Nullam poſt aliquot ſtirpem quæ pullulet annos.
Horum ſit nemo ſuperſtes
Qui tua conſilio peſſumdare ſacra profano
Tentant; ſed inanibus auſis.
Vltor ades! pharetraque habilem deprome ſagittam,
Fugiat tremefactus vt hoſtis:
Dum verſo vitare volet tua ſpicula tergo,
Victricem incurret in haſtam,
Cadendamque tibi frontem dabit; vndique cinctus
Indagine more ferarum.
His quantus tibi ſurget honos, quæ gloria factis,
Deus ô ſupreme Deorum!
Nos fidibus, nos voce tuum cantabimus aſſâ
Manſurum in ſæcula nomen.

CHRONOGRAPHICVM.

DoMIne In VIrtVte tVâ LætatVs eſt reX nortLIngæ.

PSALMVS CXLIII.

TITVLVS,

Pſalmus Dauid * aduerſus Goliath.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus.

Protector meus, & in ipſo ſperaui: qui ſubdit populum meum ſub me.

* *Titulus hic qui in Latinis codicibus legitur*, aduerſus Goliath, *parum quadrat materia Pſalmi: itaque nec in pleriſque Græcorum libris inuenitur, vt teſtatur Euthymius.*

Domine

ARGVMENTVM.

Solemne hîc canit Epinicium Rex DAVID ob Victorias multiplices Diuinâ ſibi virtute collatas, redditam Imperio ſuo Pacem; in cuius laudes excurrit, amœnâ & floridâ digreſſione.

Ad crebras Auguſtiſſimi Cæſaris FERDINANDI SECVNDI Victorias hic Pſalmus referri poteſt.

ORa quæ pridem tibi conſecraui,
In tuas ardent, Deus, ire laudes:
Et manus, quæ te dociles magiſtro
Horrida primùm

Arma tractarunt, modò mitioris
Ad lyræ dulcem reuocantur vſum,
Par tuo (ſi fas erit) vt reponam
Carmen honori.

Te canam rerum decus ô mearum,
O Salus; ô Spes! mihi perduelles
Sub iugum mittens, minùs obſequentem
Subdis Idumen:

Nam quòd ignauo Phereꝫæus arcu
Abſtinet campis; opis illud omne
Eſt tuæ, vultu propior ſimul me
Reſpicis æquo.

* *Hebræa habẽt,* quia cognoſcis eum. *i. curam eius habes.*

Domine quid eſt homo quia * innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.

Domine inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

* *Videtur hic Pſalmus compoſitus, cùm poſt multas victorias poſtremam de Ammonitis referret, vt opinatur Ianſenius.*

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis; de manu * filiorum alienorum.

Quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus

Quî ſit ad paruos vt homunciones
Tantus accedas Deus; vt fauore,
Vt tuâ dignos Pater arbitreris
Optime curâ?

„Vmbra mortales ſumus, aut inani
„Vanius ſi quid reperitur vmbrâ.
Tu tamen gaudes caput hoc relicto
Viſere cælo.

Euge declini mihi lapſus æthrâ,
Et procelloſis Boreæ quadrigis
Vectus, huc felix ades! huc tonantem
Dirige currum!

Te ſuper ſummos equitante montes
Æſtuans fumabit apex Orebi;
Et coruſcanti pluet imbre diros
Fulmen in hoſtes.

Brachio, vindex ſcelerum, rubente
I Palæſtinas iaculare turres!
Barbarus paſſim tibi terga prædo
Vertet inaudax.

Cernis Hebræo Syrus vt colono
Miles inſultet, ſua fœderatus
Arma cui pactis ſociauit Ammon
Nuper iniquis?

Hi tuum bello Dauidem laceſſunt
More torrentis violenter vndæ.
Me, Pater; tutum tua ſoſpitatrix
Dextera præſtet.

Deus canticum nouum cantabo tibi : in pſalterio, decachordo pſallam tibi.

Qui das ſalutem Regibus : qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno : eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem : & dextera eorum, dextera iniquitatis.

[a] Quorum filij, ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſuâ.

Filiæ eorum compoſitæ : circumornatæ vt [b] ſimilitudo templi.

Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

[a] *In textu Hebræo hæc quæ de felicitate Pacis dicuntur, tribuuntur populo Dei: vnde & Hieronymus vertit,* Vt ſint filij noſtri ſicut nouellæ plantationes, *&c.* Filiæ noſtræ, *&c.* Promptuaria noſtra, *&c. Quod benè conuenit veteri Teſtamẽto, in quo pijs hæc bona promittuntur, quæ more Prophetico, tamquã iam præſentia Dauid hic deſcribit*

[b] Similitudo templi, *id eſt Idea, quam habuit Rex Dauid: cuius venuſtati comparat Virgines Sioneas, non alienigenas: nam præter decorum filiæ incircumciſorum templo Dei compararentur.*

Oues

Tunc nouam (ſi quid mea plectra poſſunt)
Ad tuas Oden modulabor Aras:
Teque bis-quinis reſonare diſcent
Nablia chordis.

Vt tuâ Reges ope roborentur
Ordiar grato memorare cantu;
Vtque ſeruaris Dauidem frequenter
Rebus in arctis.

Protinus dicam celebres triumphos,
Impio raptas & ab hoſte palmas:
Nec bona, quam tu dederis, tacebo
Commoda Pacis.

Quanta Iudaeas, referam, per vrbes
Ludat exultim plateis iuuentus;
Vt frequens proles obeat paternam
Veſpere menſam.

Sic Oronteas ſata propter vndas
Laurus immenſo ſoboleſcit auctu,
Matris & ſeſe ſub opaciore
Subijcit vmbrâ.

Enitet tali Solymaea cultu
Virgo, dum feſta redeunt Calendae;
Qualis arridet, tibi dedicandae
Aedis imago.

Melle decurrunt oleoque riui,
Horreum pergunt cumulare meſſes,
Et mero large locuples redundat
Cella quadrimo.

Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis; boues eorum craſſæ.

Non eſt * ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

* *Non eſt interruptio. Non perrumpuntur mœnia machinis hoſtium. Sic interpretatur Abrahamus Eſdra hunc locum.*

Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

PSAL-

Google

Nec gregem nouit numerare paſtor
Manè balantes comitatus agnos;
Et recondendis queritur deeſſe
Vimina lanis.

Læta per Bethles ſata, tollit hinnitum
Aptus ad fruges equus euehendas:
Et boues vincunt grauido capacem
Vbere mulctram.

Non Sioneos furioſa crebris
Ictibus pulſat catapulta muros:
Nec leues rumpunt inimica nobis
Claſſica ſomnos.

Otio felix perhiberis iſto;
Te tamen, Iudæa, beatiorem
Dixerim longè, quòd habere Numen
Detur amicum.

PSALMVS LXVII.

TITVLVS,

In finem, Pſalmus Cantici ipſi Dauid.

a EXurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et iuſti b epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Domino, pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui aſcendit ſuper c Occaſum: Dominus nomen illi.

Exul-

a *Solemnis formula ſacrorum.* b Epulentur, *idem quod ſacrificent. Sic Virg.* Cui Maurufia pictis Gens epulata toris Lenæum libat honorem. c *Per* Occaſum *hic intelligitur desertũ. Sic Iſa.cap.*21. In ſaltu ad veſperam dormietis, *id eſt, in deſerto Cedar.*

ARGVMENTVM.

PSALMVM hunc ſexageſimum ſeptimum cecinit Rex DAVID in conſpectu Arcæ fœderis, cùm illam ex ædibus Obededom in arcem Sionis ſolemni & planè triumphali pompâ traduceret; præeuntibus, choroſque ducentibus Hebræis virginibus. Tener eſt carminis character, genialibus pomparum choris attemperatus.

EN adeſt DEVS. *impios*
Hinc procul procul arceo.
Inuiſum Superis genus,
Hinc abite profani.

Fumus vt fugit: obuijs
Cera cedit vt ignibus:
Sic, intrante Deo, procul
Hinc abite profani.

Vos fauete pij ſacris,
Et cæſis hilari die
Victimis, epulamini
Hanc Sionis ad aram.

Puellæ, & pueri integri
Læta dicite carmina:
Nablijs genialibus
Simul iungite voces.

Sternatur

a Turbabuntur à facie eius. *Deſunt hæc in Hebræo textu; addiderunt Septuag. Interp.*

Exultate in conſpectu eius, a turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

b Deus in loco ſancto ſuo. *Deſunt hæc etiam in Hebræo textu.*

b Deus in loco ſancto ſuo; Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo:

c *Sub his metaphoris carceris & ſepulchri adumbratur dura ſeruitus Hebræorum in Ægypto. Eſt enim in vſu apud Hebræos geminare metaphoras, vt eadem res ſignificetur.*

c Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto;

Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël.

Plu-

Sternatur via frondibus
Mixto flore croci, Deus
Puro ſcandit ab Heſpero
Dum Sionis ad arces.

Quo te nomine nuncupem?
Seu dici Dominus voles
Deûm Maxime; quis tibi
Compararier auſit?

Audis ſiue libentiùs
Arbiter Vidua mala
Quam vexant fera; quis tibi
Compararier auſit?

Siue connubijs praës,
Orbos ſeu pueros regis
Parens Optime; quis tibi
Compararier auſit?

Siue ergaſtula te iuuat
Siue clauſtra refringere
Dextrâ vindice, quis tibi
Compararier auſit?

Scimus vt Mareotica
Auos compede ſolueris;
Scimus vt per inhoſpitam
Triumpharis Idumen:

Dum Sina tremeret iugum,
Et ſub mole fatiſceret
Inſeſſus Paranus tibi;
Dum nutaret Orebus:

Ipſe

a Dabit verbum. *i. argumentum carminis*, euangelizantibus. *i. cantatricibus: eſt enim femineæ terminationis in Hebræo textu. Erat proprium puellarum cãtare Epinicia & Epithalamia*
b *Vox hæc* dilecti, *homonyma eſt apud Hebræos, ſignificãs etiam Sponſum. vt ſit ſenſus; Rex virtutum, qui ſolet videri terribilis, venit iam blandus, vt Sponſus ad Sponſam, diuidere ei munera, ad ſpeciem & ornatũ eius.*

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ: & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Dominus [a] dabit verbum euangelizantibus, virtute multa.

Rex virtutum [b] dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.

Si

Ipſe dum plueret polus
Imbrem nectaris; & tuo
Rores ſponte peculio
Diſpenſaret amicos.

Cura tanta fuit gregis,
Amor tantus, vt inuia
Inter teſqua vago dares
Vigil pabula Paſtor.

Non minore nepotibus
Nunc viam ſtudio praïs;
Et Paratonio nihil
Debet iſte Triumphus.

Docta pſallere Virgines,
Spiritum quibus & modos
Carminis Deus annuit,
Clarâ dicite voce:

Iö viuat! iö, iö
Triumphet Deus! aſpice
Curru vectus vt aureo,
Regaliq́ue paratu,

Sionis ſubeat ſacrum
Dilectæ ſibi verticem;
Pompâ Sponſus adit pari
Noua limina nuptæ.

Vt mentes rapit omnium
Grandi munificentiâ!
Quid moras trahis? obuiàm
Prodi Virgo Sionis.

Armillis,

Si dormiatis inter [a] medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.

Dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam, niue dealbabuntur in [b] Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?

a Inter medios cleros dormire, *eſt ruſticã vitam agere. Sic Iudic.* 3. *Ruben dicitur habitare inter terminos, & audire ſibilos gregum. Et Gen* 49. *Septuag. Interp. loquẽtes de Iſſachar viro agricolâ dicunt:* Iſſachar dormiens inter medios cleros. *vbi vulgata verſio habet:* Iſſachar accubans inter terminos ſuos.

b *Hic vox,* Selmon, *non eſt proprium nomen alicuius montis, ſed ſignificat montem obſcurum in genere. Et ita vertit Theodotion. vt ſenſus ſit: Mons Ieruſalẽ, qui priùs erat obſcurus & nullius nominis, fiet clarus ædificato ibi Templo. Nam ſub nomine Selmonis debet intelligi mons Ieruſalem. Neque nouum eſt in ſacris Litteris, vt nomina communia formam habeant propriorum. Sic Septuag. Interp. montem* Pharan, *vertunt* vmbroſum.

Mons,

Armillis, & inauribus,
Et donaberis annulo.
Quid moras trahis? obuiàm
Prodi Virgo Sionis.
Quæ vitam priùs egeras
Ruri ſordidulam; modò
Arrhis connubialibus
Exornata nitebis;
Qualis alba columbula
Solis ad radios mouens
Ceruicem tremulam, vagâ
Auri luce refulget.
Quos Reges tibi cælitum
Indulgentia deſtinat?
O dies niue, ſæcula
Auro digna notari!
At quem te memorem, quibus
Selmo concelebrem modis?
Mons lectiſſime, mons Deo
Sacer Bellipotenti!
Mons candore coagulum
Lactis æquiparans: ſolis
Vbertate nec alteri
Amans cedere cliuo.
Non eſt, Selmo, periculum
Ne quis ſe tibi montium
Præferat. Libani quidem
Collis audit amœnus;

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

a *Sic Virg. de templo Iunonis:* Hîc illius arma, Hîc currus fuit.

a Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.

b *Luculentum teſtimonium de Chriſti Aſcenſione: vt obſeruat ipſe Paulus Apoſtolus.*

b Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus:

Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus Deus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus

Sed deformis erit tibi
Collatus Libanus, neque
Poſthac ambitioſiùs
Cælo cornua tollet.
Mons ocellule montium!
Dei deliciæ! locum
Hîc templo Deus eliget:
Hîc oracula fundet:
Perennes alet hîc focos:
Currus hîc erit illius
Quem circùm Aligeræ volant
Seſquimille phalanges.
Vlla non alibi Deo
Gratior mora; non iugum
Sinæ, non ita lucidi
Placet Regia cæli.
Quò ſerus recipi volet
Poſtquam vicerit inferos,
Captiuumq́ue reduxerit
Stygis carcere vulgus;
Humanæq́ue propagini
Largâ contulerit manu
Quæ vix inueniant fidem
Immortalia dona.
O felix ades! ô bonâ
Deus nos ope ſoſpita!
Te viæ ſequimur Ducem,
Auctoremq́ue ſalutis.

M 2 *Tu*

Deus noſter, Deus ſaluos faciendi : & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum : * verticem capilli perambulantium in deliĉtis ſuis.

* Verticem capilli. *i. verticem capitis ſemiraſi, relicto vno aut altero capillo pro notâ ignominia.*

Dixit Dominus : Ex Baſan conuertam, conuertam in profundum maris:

Vt intingatur pes tuus in ſanguine : lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei; Regis mei qui eſt in ſancto.

Præue-

Tu nepotibus Iſaci
Imperator es vnicus:
Tu das vſque recentibus
Jnclareſcere palmis:
Tu Dux inſuperabilis,
Tu diræ domitor necis:
Iö dicat ouans, Iö
Jö, turba, Triumphe!
Hoſtis ante tuas, caput
Semiraſus, eat rotas;
Nodo non reſolubili
Manum vinctus vtramque:
Jllum de Baſani iugo
Dabis præcipitem in mare.
Iö dicat ouans, Iö
Iö, turba, Triumphe!
Tantâ cæde rebellium
Hæc Victoria conſtitit;
Vt crurum tenus hoſtico
Perfundare cruore.
Barbarum properent canes
Roſtris lambere ſanguinem.
Jö dicat ouans, Jö
Jö, turba, Triumphe.
Pompa ſit propior. tuum
Ferculum videor videre.
O Rex! ô Deus hanc veni
Aduocatus in ædem!

Præuenerunt [a] principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

In [b] eccleſijs benedicite Deo Domino, de fontibus Iſraël.

Ibi [c] Beniamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo

[a] *Intelligitur hic princeps cantorum, ſiue præcentor.*

[b] *Vox* eccleſijs *pro cœtibus accipitur, qui conuocabantur tubis. ſic Pſal.* 80. Buccinate in Neomenia tuba.

[c] *Alluditur hic ad illud Deuter.* 33. Beniamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. *Templum enim Domini fuit ædificatũ in ſorte tribus Beniamin.*

Præcentor faciat modos,
Pſallens quos referat chorus.
O Rex! ô Deus hanc veni
Aduocatus in ædem!
Hinc & inde puellulæ
Palmis tympana temperent;
Et dicant: Deus hanc veni
Aduocatus in ædem!
Omnes admoniti tubis
Adſint, quotquot ab inclyto
Iſraële trahunt genus;
Loquantur bona verba.
In primis mihi Beniamin
Floſculus iuuenum canat,
Impotentiùs entheo
Mentem percitus œſtro.
Addat ſe comitem volo
Iuda, & Nephthalidum manus:
Nec deſint Zabulonio
Duces ſanguine creti.
Si placent Solymæ, Pater,
Si Dauid, tuus eſt amor,
Quem Bethles ab ouilibus
Hæc ad ſceptra vocaſti:
Hunc, vt es ſolitus, iuua;
Huic vires ſuperadijce:
Non enim ſine te poteſt
Hoſtem fundere victor;

a A templo tuo, *id eſt, propter, Hebraiſmus.*

a A templo tuo in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera.

b *Chaldæus paraphraſtes hic de dijs Ægypti agi putat, & ſic vertit:* Eijce haſtatorum feras, animalia, vitulum, & taurum, & Apim, cum vitulis populorum, quæ ſunt idola.

b Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum; vt excludant eos qui probati ſunt argento.

Diſſipa gentes quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna

Te fauente tamen poteſt.
Quòd ſi faueris ; offeret
De captis ſpolia hoſtibus,
Non inutile munus:

Vt ſuo tibi tempore
Structa latipatentibus
Ædes in Moriæ iugis
Læui marmore ſurgat.

Quid ſuos mihi iactitat
Fabuloſa Pharus deos
Natos inter arundines?
Vt lubet, crocodilon

Aut Apim profugam bouem
Sibi numina conſecret:
Si videtur, ahenea
His ponat ſimulacra,

Vel argentea; nil moror.
Sit ſuperba ſuis ſinam
Diuis; ne tamen hos Deo
Iſraëlis adæquet.

Hæc ludibria numinum,
Quæ certare parant tibi
Deus Maxime, diſſipa
Sicci pulueris inſtar.

Tunc Phari niger accola
Accidet genibus tuis,
Quem ſupplex volet Æthiops
Anteuertere cultu.

Regna terræ, cantate Deo: pſallite Domino:

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cælum cæli, ad Orientem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſraël; magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.



PSAL-

Terrarum reliquis erit
Par ſententia Regibus
Ceruicem tibi ſubdere,
Tibi dicere laudes;

Qui curru quatis ætherem,
Qui cæli ſuper ardua
Eleuas ſolium, diem
Quâ Sol parte reducit.

Si robuſta tonitrua
Vocis audierit tuæ,
Gens ſuperſtitioſior
Intimos tremet artus.

Nos gaudebimus interim
Qui tuâ ſumus in fide,
Et feſtas Epinicium
Concinemus ad aras.

PSALMVS LXXXIII.

TITVLVS,

Pro [a] torcularibus filijs Core.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt in b Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.

Alta-

[a] *Materia huius Pſalmi valdè conuenit hic Titulus. Sicut enim tempore vindemiæ muſto madidus vinitor in canticum erumpit; ita Propheta ex amoris Diuini torculari hunc Pſalmum expreſſit.*

b Deum viuum *appellat, ad diſtinctionem eorum deorum qui putantur dij: ſed mortui ſunt, ait Hieron.*

ARGVMENTVM.

Exponit hîc DAVID flagrantiſſimum ſuum deſiderium Ædem ſacram adeundi, & ibidem commorandi, pluris æſtimans vel infimum in templo Dei obire ianitoris munus, quàm habitare in palatijs impiorum. Mirificè conuenit hic Pſalmus Religioſis.

TVa quàm lubens frequento
Deus ô ſupreme templa!
Nihil Orbe par in omni,
Nihil eſt ijs ſecundum.
Aliunde nulla poſthac
Veniet prior voluptas
Mihi, quàm tuis ab Aris.
Quibus ô quibus ſalit cor
Mihi gaudijs; pedeſque
Quibus incitantur alis,
Tua quando Sancta viſo?
Alijs colenda linquam
Simulacra ſurda diuûm;
Ego, ſemper audienti
Tibi ritè ſupplicabo.
Et habet cubile paſſer,
Et habet cubile turtur
Patulæ nucis ſub vmbrâ:
Ego ſedis huius hoſpes,
Ego fretus hoc aſylo,

Neque

a *Impensè aliquid deſiderantibus, valdè congruit Apoſiopeſis.*

a Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: b aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

b *Diſpoſuit aſcendere ad eum locum, quem conſtituit Dominus ſibi in habitationem.*

Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine

Neque paſſeri cubile,
Neque turturi latebras
Minimùm vel inuidebo.
Deus ô meus, meus Rex!
Tua ſemper Ara, nidus
Mihi ſit, locem ſouendas
Vbi cogitationes,
Vbi molliter quieſcam.
Ter & ampliùs beati,
Tua quos domus ſacratis
Penetralibus recepit!
Procul hi negotijſque,
Strepituque curiarum,
Fremituque præliorum,
Tibi conſecrantur vni;
Tibi feriantur vſque,
Genialibuſque tollunt
Tua facta ſemper hymnis.
Sed & eſt beatus ille,
Ope qui tuâ leuatus
Solymæa templa ſcandit
Tibi vota redditurus;
Iter & laborioſum
Superans vigente plantâ
Alacer ſubit Sionem;
Vbi te palàm videbit
Pretium ſuæ reportans
Operæ, tuos Amores,
Superûm perenne nectar.

Age,

Domine Deus virtutum exaudí orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

* Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

* *Obſeruare eſt hic Hyperbaton. Si enim verſiculus* Protector noſter, *præponatur verſui* Domine Deus, *commodior erit ſequentium connexio.*

Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Age, Rex ſupreme Regum
Placidus veni, bonuſque
Dauidi tuo, paternis
Ab ouilibus vocato
Ad eburneas curules!
Age, Soſpitator illi
Ades: auribus ſecundis
Age quæ precatur audi:
Quoniam die vel vno
Solymis manere mauult,
Agitare quàm trecentis
Alibi diebus æuum:
Quoniam tui miniſter
Magis optat eſſe templi,
Habitare quàm ſuperbas
Procul à Sione turres,
Arabumque poſſidere
Opulenta ſceptra Regum.
Ita ſit Pater! nec vmquam
Aliud petam: nec vmquam
Aliud dato rogatus;
Tibi mos enim piorum
Precibus fauere caſtis.
Deus arbiter duelli,
» *Sua vota quiſquis & ſpem*
» *Poſuiſſe gaudet in te,*
» *Satis eſt ſuperque felix.*

FRANCISCI MONTMORENCII

E SOCIETATE IESV

PARAPHRASIS POETICA DITHYRAMBICA

PSALMORVM IIII.

QVIBVS

DAVID EXILIVM SVVM AVT POPVLI SVI

GEMIT

AC BLANDE SOLATVR.

CLARISSIMO VIRO BALTHASARI MORETO ARCHITYPOGRAPHO REGIO

COL·VMBA.

Hæc mea deſerto gemebunda Colvmbvla *nido,*
Plantini *celebres geſtit adire typos.*

Strophe.

L*Acte lota Columbula,*
Felix ardua nubium
Alæ remigio ſubis
Longè nimbiferos anteuolans Notos;
Si prædo ſpatiantibus
Pennis aëra circinans
Imminet tibi Miluius,
Aut ſi fortè tuis retia deſtinant
Pedibus doloſæ
Aucupis artes.

Antiſtrophe.

Cur non per digitos quoque
Et laues humeros mihi
Duplex pinnula naſcitur?

Cur

Cur non Chäóniam mutor in alitem?
Plantis Galgala ſub meis
Irent & Libani nemus,
Carmeliq́ue virens apex.
Clamoſi ſtrepitus effugerem fori,
Et amata ſegni
Oppida vulgo.

Epodon.

O ſi me, Pater, infimâ
A tellure procul tui
Leuet obſecundans
Aura fauoris!
Cælum magnanimus petam,
Nec vanas metuam minas,
Si demiſſa proteruior
Tempeſtas ab Iäpyge
Algâ proluerit littus inutili.

PSALMVS XLI.

TITVLVS

Intellectus filijs [a] Core.

PRIMA PARS PSALMI.

Conſtat octo verſibus.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum [b] fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

a *Hi deſcenderunt ab Aſir, Elcana, & Abiaſaph, (qui ſuperſtites manſerunt, cùm pater eorum Core cum multis à terrâ abſorberetur) & præerant Prophetiæ,* in peritia ſua requirentes modos Muſicos, & narrantes *(vt verbis Eccleſiaſtici vtar)* carmina Scripturarum.

b *Diuus Auguſtinus legit*, ad Deum viuum; *omiſſo epitheto* fortẽ: *quod additum eſt è Græco* ἰσχυρόν.

Fuerunt

ARGVMENTVM.

Dum exularet DAVID trans Iordanem in terrâ Galaad, & reuiſendi templi deſiderio teneretur, hunc Pſalmum XLI. compoſuit; præcepitque filijs Core, vt illi modos facerent idoneos. Commodè hic Pſalmus in duas diuiditur partes,alternis Choris decantandas.

PRIMVS CANTORVM CHORVS à dextris.

Vide cap.6. lib.1.Paralip.

Sic ceruus, Libani iugis
Verſant quem rabidæ canes,
Emicat aligero
Quà via difficilis,
Quà via nulla pede:
Sic omnes ſuperat moras,
Donec ſe gelidis aquis
Sublimi fugiens ſiſtat anhelitu.
Cor ardore meum pari
Siccam per Galaditidem
Te, Pater alme, ſitit:
Nam meus haud alio
Fonte leuatur amor.
O perennis aquæ caput,

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei:

In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus * epulantis.

* *Vox* epulantis *ſumitur hic pro* ſacrificantis *ſeu* immolantis hoſtias pacificas.

Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera

Quis me, quis prohibet tuæ
Ne largis ſcatebræ proluar hauſtibus?
Eheu flere magis libet
Quàm lautâ refici dape;
Dum petulante ioco
Hoſtis amarus ait:
Dic, age, dic vbi ſit
Ille quem memoras Deus,
A quo nunc procul exulas?
Reddat te Solymis, ſi valet, arcibus.
Hæc ingeſta frequentiùs
Vrunt bile mihi iecur:
Spes tamen eſt patrios
Rurſus adire lares.
Iam mihi, iam videor
Pompis cum genialibus
Curru quadriiugo vehi
Ad delubra iugo ſtructa Siönio.
Iam cæſas iuuat omnibus
Aris cernere victimas.
Quàm placet hic populi
Dona ferentis amor?
Lætitiâ exiliunt
Omnes, ſoſpite Principe.
En aures mihi perſonat
Pictis feſta toris vox epulantium.
Tali ſolor imagine
Nigros exilij dies:
Sic adyti Solyme

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad * meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terrâ Iordanis, & Hermonijm à monte modico.

* *Hyperbaton hic obſerua. tranſponi enim debet hic verſiculus, & vltimo loco poni intercalaris:* Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, *&c.*

SECVNDA PARS PSALMI.

Conſtat etiam octo verſibus. & pro Cataſtrophe clauditur eodem intercalari verſu, quo prima pars Pſalmi.

Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia

Sum memor vſque tui;
Auia dum peragro,
Trans Iordanis aquas, loca,
Quà cupreſſifer Hermoni
Vertex ſe modico tollit acumine.
Poſthac, ô anime, anxio
Cur te diſcrucies metu?
Auſpicibus Superis
Fit mihi certa fides:
Thuricremos iterùm
Viſendi Solymæ focos:
Votiuis vbi VINDICI.
Grates deproperem carminibus DEO.

SECVNDVS CANTORVM CHORVS à ſiniſtris.

Incipit à comparatione; eodem modo quo primus Chorus, eodem verſuum numero ſeruato, Amœbæi carminis lege.

SIc imbres amat humida
Pleias imbribus addere;
Sic alia ex aliјs
Eliciuntur aquæ,
Dum cataracta poli
Procellis reſerat fores,
*Et * Seiris inhoſpita*
Cautes, aſſiduâ grandine vapulat.

* *Seir*, mons eſt in Arabiâ *Ira* deſertâ.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

In die * mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Suſceptor meus es.

* Mandauit, *pro* mandabit: *Hebræi enim vſurpant promiſcuè præteritum pro futuro.*

Quare

Iræ non aliter tuæ
Tela, præcipiti pluunt
In caput imbre meum:
Nec mora, nec requies
His datur vlla malis,
Me dudum quibus increpas.
Ah! ſempérne laboribus
Exercere paras nos Deus aſperis?
Poſt longas hiemes humum
Ver gratâ recreat vice:
Poſt inamœna redit
Nubila, Sol melior.
Et mihi proueniet
Olim candidior dies;
Indulgens vbi me Deus
In Iudæâ volet ſceptra reponere.
Illi ſemper apud pium
Dauidem ſua laus erit;
Semper erunt lyricis
Carmina danda modis.
Pollice iam querulas
Prætentare iuuat fides:
Oden iam meditor nouam,
Dum nox ſuadet adhuc alta ſilentium.
O vitæ columen meæ,
Cuſtos ô Deus aſpice
Lumine me vigili!
Dauidis argueris
Immemor eſſe tui,

Vera

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei:

Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

PSAL-

Vera ſi mihi nuntiant,
Eſt cordi quibus impiâ
Inſultare meis barbarie malis.
Nam quò me vehementiùs
Vrget dura neceſſitas,
Hoc magis ingeminat
Turba profana ſales:
Dic, age, dic vbi ſit,
Ille quem memoras Deus,
A quo nunc procul exulas?
Reddat te Solymis, ſi valet, arcibus.
Poſthac, ô anime, anxio
Cur te diſcrucies metu?
Auſpicibus Superis
Fit mihi certa fides:
Thuricremos iterum
Viſendi Solymæ focos;
Votiuis vbi VINDICI
Grates deproperem carminibus DEO.

PSALMVS LXXIX.

TITVLVS

* Dauid compoſuit Pſalmum, Aſaph ex poſteris Core fecit modos.

* Pro ijs qui commutabuntur, teſtimonium Aſaph.

PRIMA PARS PSALMI

Allegoria eſt à grege ſumpta.

QVi regis Iſraël; intende: qui deducis velut ouem Ioſeph.

Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.

Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos.

Deus

ARGVMENTVM.

Præuidens DAVID Rex ſpiritu Prophetico defectionem Ephramitarum, & reliquarum decem tribuum, à ſceptro IVDA, & DEI Lege; dolet transfugarum vicem hoc LXXIX. Pſalmo, ſub geminâ gregis & vineæ metaphorâ. Vnde hic Pſalmus commodè diuidi poteſt in duas partes, alternis Choris Amœbæo carmine decantandas.

PRIMVS CANTORVM CHORVS à dextris.

Vide cap. 6. lib. 1. Paralip.

ISraëlitici gregis
Paſtor ô vigil excuba!
Duc ad ouile vagam
Rachelidis ſobolem;
Quæ velut agna fugit
Palabunda licentiùs
Siluas in Baſanitides,
Et querceta lupis ſita rapacibus.
Tu Sionis eam refer
Ad tentoria ſoſpitem:
Eſt vibi perpetuo
Qua calet Ara foco;
Et duo qui famulis

O *Te*

** Intercalaris verſus hic quater repetitur in Pſalmo.*

* Deus conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Domine Deus virtutum, quouſque iraſcêris ſuper orationem ſerui tui?

Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis, in menſura.

Poſuiſti

Te pennis ſuper euehant
Cherubes, iubaris tui
Præſtricti radijs auricoloribus.
Cuſtos ô Deus aſſere
Septis Beniaminum tuis:
Increpitoſque pedo
Ad meliora moue
Conſilia Ephramidas.
Errauit nimiùm diu
Manaſſes: age, deuium
In caulas facili collige ſibilo.
O ſi nos placido ſemel
Dexter lumine videris;
Error omnis abibit!
Sed quid, Ephramida, quid eſt,
Tuas quòd Deus ad preces
Surdior eſt pelago?
An, quia te Solymam
Deſeruiſſe videt,
Per deſerta ſinit loca
Cognato procul à grege
Exerrare gradu non-reuocabili?
Quàm diuerſus ab Iſaco
In vepreta nepos abis?
Pro viridi cythiſo,
Pro violæ folijs,
Iam paliurus erit,
Aſper iam tibi carduus
Qui ieiunia temperet;

Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris : & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.

Deus virtutum conuerte nos : & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

SECVNDA PARS PSALMI.

Continua eſt Allegoria Vineæ.

Vineam de Ægypto tranſtuliſti : eieciſti Gentes, & plantaſti eam.

Dux itineris fuiſti in conſpectu eius : plantaſti radices eius, & impleuit terram.

Operuit montes vmbra eius : & arbuſta eius cedros Dei.

Extendit

Et triſti cruciet, nec ſaturet dape.
Pro fontis ſcatebrâ ſacri,
Iam limoſa tibi palus
Pocula ſufficiet.
Et lacrymæ vitrei
Inſtar erunt laticis.
Hunc vicina Tyros quibus
Nuntium excipiet iocis?
Non impunè, Pater, cedat id hoſtibus.
O ſi nos placido ſemel
Dexter lumine videris;
Error omnis abibit!

SECVNDVS CANTORVM CHORVS à ſiniſtris.

In Veteri teſtamento apud Iſaiam, & Ezechielem, frequenter ECCLESIA deſignatur ſub Allegoriâ Vineæ, vt etiam in Nouo, apud Euangeliſtas.

ISraëliticæ Sator
Vitis, hanc, Deus, vberi
Deſuper imbre riga!
Et tua quos Pharijs
Tranſtulit è ſcrobibus,
Seruet dextera palmites;
Quales gleba feracior
Accepit domitæ iam Chananitidis.
Hæc iam vinea collibus
Vmbras Aſſyrijs facit.

Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius.

Vt quid deſtruxiſti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

Græcis μονιὸς, genus quoddam porci ſilueſtris.

Exterminauit eam aper de ſilua: & * ſingularis ferus depaſtus eſt eam.

Deus virtutum conuertere: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.

Et perfice eam, quam plantauit dextera tua: & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.

Incenſa igni, & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat

Iam mare, iam rapidi
Tigris opacat aquas:
Ipſa refert viridem
Vnda vitis imaginem:
Hîc depicta natant iuga,
Hîc abſens tremit in flumine pampinus.
Cur vitis modò viluit
Tam dilecta priùs tibi?
Cur ſpoliata ſuis
Sepibus exuitur,
Furibus vt pateat?
En illudit ei caper,
En dentes acuunt apri,
Vt ſtirpes laceras funditus eruant.
O ſi nos placido ſemel
Dexter lumine videris;
Terror omnis abibit!
Vineæ fer opem tua!
Largis ambitioſior
Si fluet illa comis,
Luxuriem nimiam
Tu mihi falce puta.
His iuuanda modis erit.
„Vellit non eadem benè
„Olim quos poſuit dextera ſurculos.
Cur incendia palmiti
Moliris trifidà face?
Flammiuomo cohibe
Fulmina miſſa polo:

Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ; & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.

Et non *diſcedimus à te, viuificabis nos: & nomen tuum inuocabimus.

* Diſcedemus. *frequenter Hebræi vſurpant præſens pro futuro.*

Domine Deus virtutum conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Si tuus illa furor
Pergat ſpargere; ſi reo
Manaſſi veniam negas:
Omnes, heu! ſimili ſorte peribimus.
» Mortales ego nos ſcio:
» Peccare, eſt hominum; Dei,
» Parcere ſupplicibus.
Parce tuo generi!
Nam genus eſſe tuum
Nos, non diſſimulas Pater.
Poſthac fidus erit tibi
Iſraël, memori teque canet Lyrâ.
O ſi nos placido ſemel
Dexter lumine videris;
Terror omnis abibit!

AMICO LECTORI.

MIrum tibi videri poſſit, Amice Lector, quòd has duas Dauidis Odas tribuam potiùs puellarum quàm Leuitarum Choris decantandas: mirari tamen deſines, ſi memineris nouam hîc induci rerum faciem; & nouam ſcenam nouos quoque Choros poſtulare. Captiuos apud Babylonem Iſraëlitas hîc damus: ideoque molliores exulum affectus, qui duobus his Pſalmis exprimuntur, meliùs, & ex decoro magis ſequiori ſexui indulgendos mecum iudicabis. Iuuat hanc opinationem noſtram ſententia Platonis & Ariſtotelis, à quibus reprehenditur Homerus, quòd Vlyſſem in Scyllâ, contra decorum viri fortis, eiulantem ac flentem induxerit. Cautior inde Virgilius, C. Iulij Cæſaris (ſub Daphnidis perſonâ) cruentam mortem lugeri voluit à Nymphis, in lacrymas ſuopte ingenio procliuioribus.

Extinctũ Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebãt, vos coryli teſtes & flumina Nymphis;
Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Accedit quòd apud Hebræos in more fuerit, vt virgines non minùs Leſſum in funeribus, quàm Epinicium in triumphis canerent. Vtri-

uſque rei paſſim exempla ſuppetunt in ſacris Litteris, cùm *cantatrices omnes*, diſcipulæ Vatis Ieremiæ, lamentari dicũtur Ioſiæ Regis interitum, c. 35. l. 2. Paralip. Similiter *virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam* in publico luctu, vt obſeruare eſt in Principum Aſſamoneorum hiſtoriâ, c. 3. lib. 2. Machab. De Epinicijs porrò per virgines decantari ſolitis, manifeſtior res eſt, ex Dauidis, cæſo Goliâ, reducis hiſtoriâ, quàm vt pluribus à me probari ſit neceſſe. Quocircà rectè virginibus demandantur cantandi nonnulli Dauidis Pſalmi, quorum præcipuè Titulus eſt, *Pro Occultis*. i. Adoleſcentulis concluſis: nam vocabulũ Hebræum *Galamoth*, cùm ſit homonymum, peræquè ſignificat & *Occultas res*, & *Adoleſcentulas*; illas ſcilicet, quæ vel publica lamenta exequebantur, vel Choris feſtiuioribus triumphos celebrabant. Et quò propiùs accederem ad eiuſmodi puellaris Chori ſpeciem, nihil dubitaui ſequentium Pſalmorum Paraphraſim, in Strophen, Antiſtrophen, ac Epodon diſtribuere; pari propemodum œconomiâ, quâ plerique Dauidis Hymni diuiduntur in Diapſalmata: in quibus, iuxta B. Chryſoſtomi mentem, & ſententiæ, & Muſici concentus, & perſonarum totius Chori fiebat mutatio. Veſtigium haud obſcurum Odes Hebraicæ ſic in tria (vt vocant) Steſichori com-

modè

modè diſtributæ, nuper obſeruaui apud Ieremiam: qui cùm duobus prioribus Threnorum capitibus ordine Alphabetico ſolitarias Strophas dediſſet more Flacci; in tertio demum capite Threnum eodem Alphabetico ordine diuiſum in Strophen, Antiſtrophen, ac Epodon, ad inſtar Steſichori nobis exhibuit. in quo tamen Cantico, Artis obſeruantior fuit quàm Steſichorus. Nam cuiuſlibet Strophes initium ſemper fecit, per numeralem illam litteram, quæ ſingulis præfixa eſt, percurrendo verſibus Acroſthicis (quales nonnulli ſunt * Sibyllini) totam Alphabeti ſeriem à primo elemento Aleph vſque ad vltimum Thau, vnam dumtaxat illius Threni Trigam, Latinis à me iunctam numeris ſuâ breuitate Melodiæ aptioribus, hîc ſubijciam, vt tibi, Beneuole Lector, certiorem hoc exemplo fidem faciam nonvulgaris artificij Poëtici, quo conſtant pleraque Vatum Hebræorum Cantica.

* *Vide Euſeb. in Vitâ Conſtant.*

CAP. III. THREN. IEREM.

Aleph.	Strophe *á.*
Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.	*Abductus procul ille grex* *Tuus à Sione,* *Vbi manè claro,* *Duce Te, ſolebat* *Ad latiſſima paſcua* *Saclis ire prioribus:*

Cur

Cur virgâ modo ferreâ
Tenebras ſub ipſas
Noctis opacæ

Aleph.
Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

Antiſtrophe α.
A te ducitur ad trucem
Babylonis aram,
Vt inhoſpitali
Cadat immolanda
Belo victima flebilis?
Quò nos, Paſtor, agis? tua,
Ah Pater, tua deſinat
Manus increpare
Quos regis Agnos.

Aleph.
Tantum in me vertit, & conuertit manum ſuam tota die.

Epodus α.
Ah Pater! cohibe pedum,
Quo luce totâ,
Quo nocte totâ,
Miſerum Iſraëlis
Tundis ouile.

Beth.
Vetuſtam fecit pellê meam, *&c.*

Strophe β.
Bidentûm cutis aruit
Viden vt tuarum? &c.

Non eſt mihi conſilium ceteras huius Threni perſequi partes: ad inſtitutam Pſalmi CXXXVI. Paraphraſim redeamus.
Ignoſce, mi Lector, modico iſti diuerticulo.

PSAL-

PSALMVS CXXXVI.

TITVLVS

Pſalmus Dauid, Ieremiæ.

SVper flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus: cùm recordaremur Sion:

In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.

Quia

ARGVMENTVM.

Sedens in agro ſuburbano Babylonis in Euphratis ripâ chorus captiuarum Sionidum, deflet amiſſam libertatem hoc lugubri carmine. Ac primò per Strophen, conuertitur ad Patriam verſus Orientem; deinde per Antiſtrophen contrariò motu flectitur ad Chaldæos verſus Occidentem. Poſtremò per Epodon ſiſtit lamentum.

Strophe ά.

QVà Chaldæa perambulat
Euphrates gelido rura fugax pede,
Hîc ſedete, Sionides:
Hæc augete pijs flumina lacrymis
Natalis memores ſoli.
Abſens Patria lacrymas
Poſcit, non citharæ modos:
Nam penſis ab herilibus
Seruili veniens dextera pollice
Horret tangere barbiton.
Infelix meliùs lyra
Poſthac è ſalicum comis
Aut pendebis ab ilice:
Cum ventis ibi tu carmina diuides,
Tua ſi loquaci
Notus increpabit
Fila ſuſurro.

Anti-

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum:

Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

** Formula iurandi, familiaris Hebrais. ſic 31. cap. lib. Iob:* Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachiũ meum cum ſuis oſſibus confringatur.

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, * obliuioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui:

Si

Antiſtrophe.

Quid fruſtrà, Babylonij,
Lætos à miſeris exigitis modos?
Veſtro nónne ſatis fuit
Submiſiſſe nurus Hebraidas iugo?
Victis parcite, parcite
Sæuo dicere cum ioco;
Lyras cia reſumite
Puellæ Solymitides,
Et nobis aliquid de popularibus
Hymnis admodulamini,
Quale ſæpiùs audijt
Ædes dum Salomonia
Luxu regifico ſtetit.
Illudat Solymis ſiccine canticis
Babylon profana,
Vetitoſque diſcat
Numinis hymnos?

Epodus.

O auguſta Dei domus!
O regina Sion, ô caput vrbium!
Noſtris vllàne deleat
Vmquam vos animis dies?
Hæc quam ſubrigo dextera
Areſcat priùs, excidat
Menti Patria quàm meæ.
Vox hæc faucibus hæreat,

Si non propoſuero Ieruſalem, in principio lætitiæ meæ.

Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Beatus,

Linguæ deficiant verba volubili,
Niſi prima ſemper
Mihi ſit videnda
Cura Sionis.

Strophe β′.

Orbis ô Deus arbiter,
Armorum dubiam qui regis aleam!
Siquid reſpicis exules,
Impunita tuam ne precor impia
Idume fugiat manum.
Quæ furens odijs, Nihil,
Clamabat, nihil efficis,
Ni Chaldæa Sioniæ
Arcis relliquias funditus eruis:
Res ſemper Solyme nouas
Tentabit. Segetes ibi
Fac creſcant, vbi marmore
Surgebant Pario domus:
Inſultent temerè fac ouium greges
Dauidis ſepulchro,
Catuloſque dama
Celet inultus.

Antiſtrophe.

Tu ſorti Babylon quoque
Debes ludibrium. Tempus adeſt, grauis
Quo pœnas Solymæ dabis.
Miſſos nonne vides Perſide milites

Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

PSAL-

Murum ſcandere coctilem,
Quem vinxiſſe bitumine
Fertur priſca Semiramis?
Heu quid mentis erit tibi
Dum portas aries conteret hoſticus?
Pubis robora dum tua
Medus ſternet acinaces,
Nec tardi iugulo ſenis
Parcet vulnificus chalybs?
Diues purpurei regia dum Nini
Ruet; & tot annis
Cumulata gaza
Sidet in ignes?

Epodus.

Matronas eadem manet
Quæ fortuna viros: Victor enim trahet
Seruas trans mare Caſpium;
Coget linquere penſiles
Hortos, linquere pignora,
Quæ parentis ab vbere
Dimouebit, inhoſpitis
Allidens ea cautibus.
Felix! progeniem qui Babylonicam,
Vitioſiorem
Proauis, in ipſo
Opprimet ortu.

PSALMVS CXXV.

TITVLVS,

Canticum [a] Graduum.

[a] *Benè* Canticum Graduum *inſcribitur: gradientes enim canebant huiuſmodi Pſalmos, qui aſcendebant ad templũ Ieroſolymitanum.*

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus [b] ſicut conſolati:

[b] *In Hebræo legitur,* ſicut ſomniantes.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.

Tunc

ARGVMENTVM.

Dum liber è captiuitate Babylonicâ puellarum Sioniïdum Chorus ad reditum in Patriam ſe accingit; carmen hoc Propempticon ad lyræ modos decantat. Ac primò per Strophen conuertit ſe ad DEVM verſus Orientem: deinde per Antiſtrophen contrario motu flectitur ad gentes Barbaras verſus Occidentem: poſtremò per Epodon ſiſtit ſaltationem.

Strophe ά.

NVnc humum pede libero
Nos decet ſociæ tundere virgines,
Cùm Deus Babylonijs
Vocat è cataſtis
Ad auita ſancta
Regna Sionis.
Ergóne certa eſt noſtra voluptas?
An vanam leue ſomnium
Portâ mittit eburneâ
Libertatis imaginem?
Vix eſt vix oculis fides.
Agedum, Puellæ,
Lepido labella
Soluite riſu,
Soluite cantu.

Tunc dicent inter Gentes : Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Conuerte

Antiſtrophe.

Perſas ô quis habet ſtupor?
Vt ſtant attoniti Medus, & Æthiops
Ad ſpectacula tam noua?
Vt Arabs, Cilixque,
Syrus vt vadoſi
Potor Orontis
Pollice nobis plaudit vtroque?
Omnes, hæc Deus, inquiunt,
Hebræis facit otia
Largâ munificus manu:
Dux eſt ipſe Deus via
Reduci Iſraëli
Solymas ad arces,
Pinguis ad arua
Læta Segoræ.

Epodus.

Hæc, vt dicitis, otia
Nobis ipſe dator lætitiæ facit
Largâ munificus manu,
Adamantiniſque
Deus expediuit
Brachia nodis;
Plectant vt modò liberi
Argutas digiti fides.
O ſalue nimiùm diu
Intermiſſa chelys! nouum

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in * Auſtro.

* *Flante Auſtro.*

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Venientes

Age profer hymnum,
Geniale profer
Barbite carmen.

Strophe β′.

Iö dicite, Iô, Iö,
Puellæ celebri luce Siönides,
Quâ fatis melioribus
Iter auſpicamur
Patrias ad vrbes.
Sic ſua grandi
Murmure torrens gaudia prodit,
Quem vinctum rigido gelu
Auſtri diſſoluit tepor:
Sic è montibus vndique
Collectas glomerans aquas
Ruit ille pronæ
Per aperta vallis,
Auſus vtramque
Vincere ripam.

Antiſtrophe.

„ *Non eſt perpetuò tenor*
„ *Idem ſortis: amat nempe reciproco*
„ *Mutari labor otio.*
„ *Viden' vt ſecundis*
„ *Mala temperentur,*
„ *Triſtia lætis?*
Qualis arator ſemina ſulcis

Credit

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Credit anxius, ac timet
Ne putreſcat ab imbribus,
Neu ſæuis Aquilonibus
Intercepta cadat ſeges:
Neque lux diei,
Neque noctis vmbra
Pellit ab agro
Pectore curas:

Epodus.

Donec condat in horrea
Meſſes; & Superis vota fauentibus
Serto tempora ſpiceo
Ferat impeditus,
Hilariſque liba
Dedicet aræ.
Talis Iſacidum domus,
Depulſo veteri iugo,
Natales redit ad lares
Triumphans; & amaraco,
Hederaque feſtâ
Cohibens nitentem
Fronde capillum.

FRANCISCI MONTMORENCII E SOCIETATE IESV PARAPHRASIS POETICA DITHYRAMBICA PSALMORVM IIII. QVI PROPRIE HYMNI APPELLARI DEBENT.

PRÆ-

PRÆFATIO.

NOn abs re fuerit, ſi pauca, quæ ſuper artificio Poëtico Dauidicorum Hymnorum obſeruaui, tibi, Beneuole Lector, breuiter aperuero; quibus aliqua lux & commendatio ſacris hiſce carminibus accedat. Nec enim in vltimâ Pſalmorum laude reponendum puto artificium quo conſtant ſingulare, omnibuſque Poëticis numeris abſolutum. Deus ſiquidem Optimus Maximus haud minori Prouidentiâ cauit, quàm in ceteris ſui cultus ritibus, in ornamentis templi, victimiſque ſine maculâ immolandis; ne quid etiam in carminibus illi conſecratis, inconcinnum, incohærens, aut mendoſum offerretur: ſed, quemadmodum Rex olim Macedo

Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia:

ita quoque *notus in Iudæâ Deus* non alio libentiùs quàm Dauidis ore paſſus eſt Hymnos honori ſuo dedicari. *Egregius* iſte *Pſaltes Iſraël*, totus Deo conſecratus, *quaſi adeps ſeparatus à carne* (vt verbis Eccleſiaſtici vtar) *de omni corde ſuo laudauit Dominum, & ſtare*

fecit

ſecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque ad conſummationem vitæ, vt laudarent nomen ſanctum Domini, & amplificarent manè Dei ſanctitatem. Quàm paucis multa hîc complexus eſt Spiritus ſanctus? Satis etiam dixero, ſi hunc ipſum Spiritum ſanctum, qui omnia in pondere facit, & numero, & menſurâ, Dauidi auctorem Hymnorum horum fuiſſe affirmauero: nam ſuperuacuum exiſtimo eorum laborem, qui ad metri vulgaris rationem curioſiùs hos exigunt; cùm Cardinalis Bellarminus & Agellius ingenuè fateantur, Hebrææ Poëſeos menſuram ignorari. Vnde non improbabilis mihi frequenter incidit ſuſpicio, Dithyrambicis potiùs quàm alijs numeris hæc carmina à Dauide fuiſſe decantata. Quibus enim numeris viuidus ille Dei Spiritus illigari (ſi fas eſt ita loqui) decentiùs potuit, quàm ijs qui lege metri ordinariâ ſoluti ſint, qui liberrimè in varios Amoris, Spei, Timoris, Admirationis affectus, modò remiſſis, modò incitatis pedibus excurrant, entheoque impetu deuoluantur? Hanc verſuum liberiorum rationem in Hymnis vſurpandam ſibi duxit oris profundi Pindarus, Lyricorum Græcorum princeps; alijque complures, Dithyrambico potiùs quàm alio metri genere Hymnos Libero

Q Patri,

Cap.6.lib.1 Machab. Patri, aram circumeuntes, hederâ coronati decantarunt. Quàm porrò ſolemne fuerit Hebræis, Hymnos diuinos ad aram decantare, diſces ex cap.6.lib.1.Paralip. neque enim hîc pluribus commemorabo, quomodo Cantorum choros hinc & inde, ad dextrum & ſiniſtrum altaris latus, Rex Dauid ordinârit, quomodo victima, quomodo victimæ ſanguis, Pſal.26. quomodo Hymnorum præcentor aram circuiret; ne modum Præfationis excedam. Ab Hebræis igitur hunc morem acceperunt Græci in colendis deorum ſuorum ſimulachris, vt diſertis verbis teſtantur ſacræ Litteræ cap.3. lib.1.Machab. *Et expanderunt libros Legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum:* id eſt, ritus quibus ea colerentur. Ad exemplar Sioniorum Hymnorum ſuos quoque condiderunt Terpander, Ariſtophanes in Irene, alijque veteres Poëtæ. Orpheus ipſe ante recitationem ſuorum Hymnorum, eadem pænè ſuffimenta præſcribit, myrrhæ, calami, thuris, quæ in templo Ieroſolymitano ſuper Altari Thymiamatis adoleri conſueuerant horâ Incenſi matutinâ & veſpertinâ, cùm Hymni Deo perſoluerentur quolibet die, ſed maiori cum celebritate in Neomenijs, feſtis Scenopegiæ, Paſchatis diebus; ſuauiſſimè tunc perſonantibus Muſicorum omnium organorum Choris,

ris, nihil vt exactæ ad amuſſim Harmoniæ in Hebræorum Canticis deſiderari poſſet. Hos Sionis Hymnos meritò Babylonij diſcere cupiebant, quos Dauid peritiſſimus artifex condiderat tanto pathematum ardore, tali ſententiarum pondere, tam appoſitis comparationibus, tam elegantibus Metaphoris, tanto denique lepore & Gratijs; vt præ illis Græcorum omnis Hymnodia merum ſit frigus. Horum ego quoque delectatus venuſtate, tres aut quatuor ſelegi, quos Latinis numeris Dithyrambicis ad Hebraicæ melodiæ genium exprimere conatus ſum: ſpecimen qualecumque daturus nouæ Odes; modos eius temperando partim Hemiſtichijs Sapphicis, partim Glyconio, partim Adonio metro Choris accommodatiſſimo, & puellis Sionidibus familiari, quo ſæpiùs Adonim lamentabantur, vt patet ex Vaticinijs Ezechielis. Crediderim equidem (ſi coniecturæ ſit locus) delicatiores illos Adonios verſus ab Hebræis & Syris ad Græcorum notitiam deueniſſe.

Quominus plures huiuſmodi Hymnos publico darem, obſtitit proſtrata iam penitus & conclamata valetudo. Opto, mi Lector, vt ſuauiùs valeas.

PSALMVS CXXXVIII.

TITVLVS

In finem, Pſalmus Dauid.

DOmine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti.

Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognouiſti omnia, nouiſſima & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Mira-

ARGVMENTVM.

Hymnum hunc DAVID Rex ante aram cecinit, & dicauit ÆTERNÆ DEI SAPIENTIÆ.

Strophe α.

SIc profunda-tuentibus
Me ſignas oculis, Pater,
Penitoſque luſtras
Animi receſſus;
Omnis vt tibi nuda ſit
Cogitatio, ſeu frequens
Iacet illa terris,
Pede ſeu volucri
Generoſa ſurgit,
Et inuſitato
Petit aſtra calle:
Tu Dux ipſe mihi via,
Hæc intelligis antequam
Tulerim ſilenti
Vota labello.

Antiſtrophe.

Carmen anteuides, priùs
Longè quàm mediter nouum,
Vetus aut recantem;
Nihil intereſſe

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?

Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.

Si

Ducens, ſit vetus an recens
Hymnus, quem recitauero
Solymas ad aras.
Tibi qualecumque
Opus hoc placebit,
Tua quod creatrix
Manus excitauit
Arte non-imitabili.
Orbis ô faber! aſſequi
Tua quis loquendo
Facta valebit?

Epodus.

Quàm non-æquiparabili
Polles vi Sapientiæ!
Quis adumbret illam?
Mihi nec ſat oris,
Nec ſat ſuppetit ingenI.
Mens onus mea defugit,
Humeri quod ægrè
Tolerare poſſint.
Sed cur defugio tuos
Vultus? effugium mihi
Vbinam locorum
Queat eſſe tutum?

Strophe β'.

Si cælo ferar, obuius
Fies: ſi iuuet inferas
Habitare ſedes,

Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris:

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis.

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.

Non

Ades, inferiſque
Praes ſedibus. Alipes
Si ſub prima crepuſcula
Roſea diei
Iter auſpicabor
Ad inhoſpitales
Abiturus Indos,
Bimarem vel Iſthmum;
Illuc me tua ſubuehet
Aura, me tua diriget
Cynoſura vaſti
Per vada ponti.

Antiſtrophe.

Dixi: Forſitan occular,
Si ſub ſera crepuſcula
Ineuntis vmbræ
Repetam cubile.
Quæ nox officiet tibi,
Qui non-occiduis vigil
Radijs coruſcas?
Tua lux refulſit
Mihi, dum parentis
Vtero laterem,
Et adhuc perennat.
„ *Ah! quid conſilijs tuis*
„ *Immortalibus impares*
„ *Animos inani*
„ *Vexo labore?*

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in [a] libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

a Libro prædeſtinatorum.

Mihi autem nimis honorificati ſunt [b] amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

b Clemens Alexand. Lyranus, Burgenſis, hîc ſignificari Angelos volunt.

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si

Epodus.

Quamuis oſſa mihi cutis
Tegat; non tamen hæc tuum
Fugiunt acumen:
Vt operta vitro
Clauditur roſa, nec latet.
Quamuis ſepta ſit oſſibus,
Tibi peruidetur
Sub ijs medulla:
Velut ſquammigeros greges
Prodit perſpicuus latex,
Similiſque gemma
Retegit natantes.

Strophe γ.

Me vili licet è luto
Finxeris; tamen eriges
Ab humo, tuumque
Referes in ALBVM,
Miles ſcribar vbi tuus.
O quæ bellipotentium
Tibi fulminatrix
Legio miniſtrat?
Quater ecce mille
*Video * Cherubos,*
Deciesque mille:
Erythræus erit priùs
Puluis dinumerabilis,
Tremulive ſudis
Noctibus ignes.

* Quidni Hebræum verbum *Cherub* Latinitate donetur, ſicut factum videmus in vocabulo *Sabbata?*

Anti-

Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate à me:

Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate * ciuitates tuas.

Nónne qui oderunt te, Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi.

* *Allegoricè intelligenda eſt ciuitas cæleſtis Ieruſalem: vnde excluſi profani perpetuò exulabunt.*

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.

PSAL-

Antiſtrophe.

Diſtrictus ſuper impiâ
Si ceruice, nocentibus
Tuus inſtat enſis:
Veto ſit ſodalis
Meus, quiſquis erit nocens,
Ne pœnas pariter luam.
Procul à Sione
Volo ſit profanus,
Neque ciuis vmquam
Mihi cenſeatur;
Sed aquâ, ſed igni
Interdictus, & omnibus
Execrandus, in vltimâ
Glacialis Vrſæ
Exulet orâ.

Epodus.

Explorator vt excoquit
Bracteam focus auream:
Mihi ſic ſubactum
Quoque temperabis
Cor incude, Pater, tuâ;
Et probabis, idoneus
Videárne palmis,
Quibus niteſcent
Fortes Indigetum manus.
Sordent cetera, præ bonis
Locuplete dextrâ
Mihi quæ repones.

ARGV-

PSALMVS XXVI.

TITVLVS

** In Hebræo deſunt hæc verba,* priuſquam liniretur: *ſed addiderunt illa interpretes Septuaginta in verſione Græcâ, & retinuit Vulgata lectio.*

Pſalmus Dauid * priuſquam liniretur.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

Si

ARGVMENTVM.

Hymnum hunc David ante Aram gratulabundus cecinit, vnctus recenter à Samvele.

Strophe á.

Dvm me præſidio tuo
Præſtas inſuperabilem
Pater alme lucis,
Ego quid timebo?
Dum me ſontibus hoſtium
Telis impenetrabili
Clypeo tueris,
Ego cur pauebo?
Tibi, Soſpitator,
Inimica cedet
Acies retuſa;
Quæ mea ſitientior
Cædis, exitialibus
Caput hoc laceſſit
Uſque ſagittis.

Antiſtrophe.

En repentè cadit retrò
Qui me cominùs vrſerat
Propiore ferro
Metuendus hoſtis;
Abiectâ malè parmulâ
Et pilo, muliebriter

Medi-

Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Vt

Meditatur antri
Latebram ſubire,
Simul ac triſulcum
Valido lacerto
Iacularis ignem
Flammeis ſimul ac tonas
Bigis, per liquidum tuo
Opifer Dauidi
Æthera vectus.

Epodus.

Non, ſi caſtra Sochoteum
Palæſtina tegant agrum in-
numeris quadrigis,
Animo mouebor.
Non, ſi centimanus gigas
Indicat mihi prælium
Macedæ ſub vrbem,
Genibus fatiſcam.
Nam Victoria candido
Viſet me pede; cui comes
Volet eſſe pleno
Copia cornu.

Strophe β'.

Partâ Pace, quid ampliùs
A te, Rex Superûm, petam?
Aliúdne malim
Mihi prouenire
Tuâ quàm tegar vt domo?

Vt videam voluptatem Domini, & viſitem * templum eius.

* *Allegoricè hîc intelligendum eſt templum Dei cæleſte.*

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.

* *Solemne erat, hymnos ante Dei aram decantare.*

* Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Exaudi

Tuæ quàm laquearibus
Vt agam ſub ædis,
Vbi nuncupata
Tibi, ſtante bello
Dubijſque rebus,
Mea vota ſoluam?
Inter linigeros vbi
Myſtas, albus & ipſe, te
Venerer Sabæi
Thuris acerrâ?

Antiſtrophe.

Hìc alto fruar otio:
Sedes hæc adamantina
Erit inſtar arcis,
Vbi deliteſcam.
Non ſecurior vndique
Prærupto ſcopulo Tyrus
Pelagoque fidit.
Tibi nempe fido,
Moderator orbis:
Ab ouilibus tu
Mihi ſubleuato
Permutas diademate
Paſtorale pedum: ſacro
Mihi verticem tu
Tingis oliuo.

Epodus.

Verbenis age pinguibus
Hæc altaria cingito.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miſerere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ne auertas faciem tuam à me: nè declines in ira à ſeruo tuo.

Adiutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Quo-

Age ritè Sacris
Operans miniſter
Flores quære mihi roſæ:
Caput ſutilibus roſis
Redimitus, aram
Volo circuire:
Deo munus idoneum
Meo carmina Vindici
Volo grandiore
Reddere voce.

Strophe γ.

Linguis turba faue, nouam
Oden dum Superis cano:
Nec enim bidentis
Cruor immolatæ
Illis gratior accidit,
Blandæ quàm fidibus Lyræ
Modulatus Hymnus.
Deus! hoc benignâ
Bibe carmen aure:
Hilarique ſemper
Mihi fronte fulge;
Vt nitet medio die,
Vt Sol nubila diſcutit
Radiorum acuto
Verbere victor.

Antiſtrophe.

Si præſens tua ſuſcipit
Me Tutela, nihil moror

* *Id eſt, ope parentum deſtituor.*

Quoniam pater meus & mater mea * dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Credo videre bona Domini in terra viuentium.

* *Ex mutatione perſonæ, agnoſcuntur hæc eſſe Dei verba conſolantis Dauidem.*

Expecta * Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

PSAL-

Ope quòd parentis
Vtriuſque frauder.
Rumpantur licet inuidi,
Ringantur licet improbi,
Decus ad ſupremum
Mihi prouolanti
Dabis , inſtitutum
Iter expedito
Superare greſſu.
Donec auſpicijs tuis
Beatos adeam locos,
Vbi ſempiterno
Viuitur æuo.

Epodus.

Spes certas refero domum.
Allabens mihi nam Deus
Geminâ Cherubi
Famulantis alâ,
Clarâ luce ter adſtitit;
Clarâ voce ter , anxio
Mihi ſic locutus:
Quid inane rerum
Te , dilecte mihi puer,
Turbat ? euge viriliter
Mihi mente totâ
Semper adhære.

PSALMVS VIII.

TITVLVS,

In finem pro torcularibus, Pſalmus Dauid.

Sic Orpheus aliįq; ve. tres Poëtæ Hymnos ſuos ordiebantur à varijs Dei nominibus.

DOmine Dominus noſter, quàm admirabile eſt * nomen tuum in vniuerſa terra!

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem.

Quoniam

ARGVMENTVM.

Hymnum hunc Rex DAVID ante Aram cecinit, & dicauit IMMENSÆ DEI POTENTIÆ & LIBERALITATI.

Strophe ά.

O Rex! ô meus Arbiter!
Non enim tibi proprium
Reperire toto
Licet orbe nomen!
Sis quocumque voles mihi
Sanctus nomine; ſis fauens!
Ego qui puſillus
Homo, nulliuſque
Pretij, capaces
Tibi cominiſci
Titulos valebo;
Cæli Regia ſi tua
Impar magnificentiæ
Super incubantis
Mole fatiſcit?

Antiſtrophe.

Qui laudes memorem tuas?
Infans te meliùs puer,

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum : lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Et adhuc ab ipſô
Rubicundus ortu,
Lallatu celebret ſuo;
Quàm facundia barbyti
Operoſioris:
Temerè vt profano
Modulata Vati
Chelys erubeſcat;
Sileantque linguæ.
» *In fibris tua laus mihi*
» *Malim quàm ſonet in labris.*
» *Specioſa quid te*
» *Verba iuuabunt?*

Epodus.

Vt præconia dem tibi;
Me non vtiliùs pij
* *Liber ipſe Moſis*
Queat erudire;
Quàm ſeptemplicis ætheris
A te ſcripta volumina:
Vbi ſigna mille
Tibi gratulantur:
Præcentrix vbi ſiderum
Singulis noua menſibus
Tibi Noctiluca
Meditatur hymnos.

* Pentateuchus.

Stro-

Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis; gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi;

Volu-

Strophe β'.

An mortale caput facis
Tanti, ſis memor ut mei?
Ut ab arce cœli
Mihi deuoceris?
Natum ſiccine feminâ
Ad ſummos, Pater, euehis
Apices honoris?
Et ut apparatu
Opulentiore
Niteam, micantem
Mihi das coronam?
Non, ſi promeruit locum
Cherubus tibi proximum,
Hominis putetur
Gratia vilis.

Antiſtrophe.

Jllum nempe Vicario
Sceptro conſpicuum, facis
Dare iura ponto,
Dare iura terris.
Illi plurima pinguibus
Bos lactaria paſcuis
Vituluſque mugit;
Equus hinnit illi;
Niueumque pictis
Pecus omne balat,

Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Leo rugit aruis.
Illi portat AVE *loquax*
Coruus : hunc volucres herum
Reliqua canorâ
Voce ſalutant.

Epodus.

A mutis quoque piſcibus
Cultu ſuſpicitur pari
Sacer vniuerſi
Maris Imperator.
Dum tantis hominum genus
Auctum miror honoribus,
Datus in ſtuporem in-
gemino ſubinde:
O Rex! ô meus Arbiter!
Non enim tibi proprium
Reperire toto
Licet orbe nomen.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI S.

NE forſan deſideres, Amice Lector, in his Hymnis Dithyrambicis, Parallelum aliquod Græcos inter & Latinos, ſubiecimus exemplum in huius Pſalmi XC. *Paraphraſi; quam Græcam fecit eruditiſſimus in eâ linguâ Federicus Iamotius, & eamdem nos Latinis totidem verſibus exprimere tentauimus, non tamen eâdem metri lege, nec omnibus orationis formis, verbis, ſententijs, adeò religiosè ſeruatis; nec enim huius Græcæ Paraphraſeos nudum interpretem agimus.*

PSALMVS XC.

TITVLVS,

Laus Cantici Dauid.

QVi habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Suſceptor meus es tu, & refugium meũ: Deus meus ſperabo in eum.

ΕΙΔΟΣ ΠΙΝΔΑΡΙΚΟΝ

Στροφὴ α. κώλων ια.

Ἴστω σαφανὲς ἀστεραβῆ
Πυργὸν ἀβρῶν, ὀρθοβούλοις
Ἐλπίσιν εἴ τις ὑποστάσῃ Θεὸν
Κίονα δαιμονίαν. εἰ
Χαλκόγλυφων σφετέρων δόμων ἐρείσῃς
Ἄγκυραν χειᾷ μέδοντος
Ὑψιτίμου, κυμάτεσσι
Θαρσέων ἀντιξόει
Λάβροις, ἀκίνδυνόν τε Θεῷ πίσυνος
Αἰῶνα πνέωσιν, ἀντίτεινε
Παμφόρων ῥιπαῖσιν αὐρᾶν.

Quo-

ARGVMENTVM.

Hymnum hunc Rex DAVID ante Aram cecinit, & dicauit EFFICACI DEI PROVIDENTIÆ.

Strophe ά.

*Q*VOTQUOT, alme Deus, tui*
Sumus Numinis in fide;
Benè protegemur.
Non, ſi pontus inhorreat
Cauris nocticoloribus,
Vaga fluctuabit
Quæ nos accipiet ratis:
In tuâ ſita Spes ope
Fundat inſtabilem; tenax
Velut obſtinato
Anchora morſu.

* Græca & Hebræa habent participium, *habitans in adiutorio.* hîc Dauid de ſe loquitur, vt explicat ſic Targ. *Dixit Dauid: Dicam Domino: Tu es fiducia mea.*

S Anti-

Ἀντιστροφὴ κώλ. ια.

Quoniã ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Δεινῶν γὰρ ἐκ κυναγετᾶν,
Δικτύων δόλῳ πεδᾶσαι,
Καὶ σκοτόεντα φυτεύειν ἐκλόχου
Μαιομένων θάνατον, λύ-
σει μάκαρ, ὀλομέναν χερῶν ὄλεθρον
Πρὸς τεᾶς ψυχᾶς ἀμύνων,

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis eius ſperabis.

Καὶ τανυπτέροις ἐρέψει
Ἀσκίων ὤμων πτυχαῖς,
Ἀνδρῶν ἐπόπτας, ἀμβροσίαν πτερύγων
Ὑπὸ σκιᾷ δρακέντα πάμπαν
Ἀσφαλές. κρύψει δὲ, στερρᾶς

Ἐπῳδὸς κώλ. ια.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno,

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Ὡς ἀσπίδος ὀμφαλοέσσας,
Ἐμπέδων μύθων καλύπτρα.
Οὔτε φόβου νέφος ἐν δυσμαῖσιν αὐγᾶν
Σοὶ κεκινδυνωμένον
Πλάξει φρένας, οὔτε ποτανὸν
Ἐξ ἀνικάτου βέλος
Πτάξεις φαρέτρας ὀρνύμενον σὺν ῥαθά-
γῳ γλοφεραῖς ἐν ἀμέραις,
Οὐ μὰν δολόεντος ἀτέκμαρτον λύαν
Ἐν κιλαινώπει βρότειον δέμας ἀ-
σειδῆ τύψασαν ὄρφνᾳ.

Antiſtrophe.

Non ſi lina tetenderit
Venator pedibus, dolum
Meditatus; vllas
Nobis inijciet moras,
Quos alis ſpatiantibus
Humerorum inumbras.
Dabiſque vt teretes plagas,
Vt ſcatens laqueis nemus,
Vt prædonis inutiles
Fugiamus artes.
Præpete pennâ.

Epodus.

Non, ſi ſpicula torſerit
Hoſtis, nos feriet: quibus
Velut alter vmbo
Excubat tua Veritas,
Nocturnos prohibens metus.
*O quot funera * Barbarus,*
Quas ſtrages medio die
Fetâ vulnificis daret
Pharetrâ ſagittis;
Niſi tu iuberes
Cedere campis!

* Quilibet hoſtis hîc intelligendus eſt; ſed accommodat Allegoricè malo dæmoni Chaldæus Paraphraſtes, ſic vertens: *A ſagitta angeli mortis, quam emittit interdiu.*

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionē peccatorū videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniã Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

Στροφὴ β. κῶλ. ια.

Μεσαμβρινὸν τὰν ξυμφορὰν
Μηκέτι ῥίγει βιαίαν
Καὶ δαμασίμβροτον. ἀνδρῶν χιλίους
Ἐν νεκύεσσι καμόντων
Τουτάκις ἀμφοτέρας ἰὼν χερὸς, πολυφθόρου νήποινος ἄτας
Ὄψεαι ποινὰν λαχόντας
Ἐργμάτων ἀτασθάλοις,
Ἀρχῷ πεποιθὼς ὀρσινεφεῖ, σφετέρων
Αὐτὸν τιθεὶς οἴκων ἔρεισμα
Καὶ τυχὰν ἄδματον ἕρκος.

Ἀντιστροφὴ κῶλ. ια.

Ψυχὰν ἄτρωτος ἔσσεαι
Οὔτ᾽ ἀκερδείη λελόγχῃ
Δῶμα περίφαντον. ἑοῖς ἔντειλε γὰρ
Ἄφθιτος ἀγγελιώταις,
Ἐν φυλακᾷ σε θέμεν τεὰς ἀταρποὺς,
Καὶ σὲ χερσὶ βαστάσαι, μὴ
Τὰν ποδῶν αἴγλαν ἀμύξῃς
Προσκοπῶν τραχεῖ λίθῳ.
Ἀινὰν σεέσεις ἀσπίδα ποσσὶ, ποσσὶ
Λύσσαν δρακόντων, καὶ λέοντας
Ἀγρίοις φλάσεις ἀπήμων.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quo-

Strophe β'.

A dextro viden' ut cadant
Cornu millia bis decem,
Totidem à ſiniſtro?
Merces hæc manet impios.
At nulli-violabilis
Erit inter arma
Quiſquis, te Duce, militat.
Et quis perniciem creet
Illi, quem tegis, ac tui.
Pater alme ciuem
Scribis Aſyli?

Antiſtrophe.

Immortalis eum comes
Geſtabit Genius; pedem
Via ne tenellum
Lædat. cernis ut horridam
Terat calcibus aſpidem
Sine fraude nudis?
Si proceſſerit obuiàm,
Erit regulus innocens;
Et non-ante-domabilis
Lea ſiluicultrix
Exuet iras.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eũ.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Ἐπῳδὸς κώλ. ια.

Ὥς εἶπεν ἄναξ, ἐμὲ πάντων
Ἐξόχως τιμᾷ, φιλεῖ δ᾽
Καὶ περίαλλα σέβας. τῷ καρτερῶν οἱ
Πενθέων ἔσται λύσις.
Κεῖνον γὰρ ἐγὼ παραλύσω
Δυσφρόνων, δ᾽ ἀνθέσι
Τιμαῖς ἀέξων, καὶ ἐπόμενος θαμεραῖς
Ἀνδρὸς ἐφετμαῖς νώδυνον
Θάσω κάματον, καμάτου ξυνοῦ μεταλαμβάνων, δώσω τε βίου χρόνιον
Πέρας, ἄλληκτόν τε μάχος.

Epodus.

Praſens ipſe Deus, mihi
Hac oracula reddidit.
Age, quas locaſti
Spes in me, aſſiduò foue.
Te cuſtos vigil aſſeram.
Euge, quo ſtudio ſoles,
*Sic ſemper mihi * ſupplica:*
Æuum nam diuturnius
Tibi prorogabo;
Superiſque demum
Arcibus addam.

* Septuaginta Interpretes vtuntur hîc verbo futuri temporis κεκράξεται.

IN FRANCISCI MOMORANTII E SOCIETATE IESV PARAPHRASIM POETICAM PSALMORVM XV.

QVæ noua Ieſſæis aſpirat gratia chordis,
Tactis Latino pectine?
Quam Lyra fatidici Regis placet, icta decenter
MOMORANTIANO pollice?
Dulce caput ſeu ſeu deuocat illa Nepotis
Ab ardui ſolio ætheris
Virginis in thalamũ, modicæ ad mapalia Bethles,
Connubiali carmine:
Seu fide ſolemnes celebrat grauiore Triumphos,
A morte quos victâ tulit
CHRISTVS, Amor Superûm, Mundo lætabile ſidus:
Seu Dithyrambicos modos
Ante Siönæas Vates canit entheus Aras,
Hymnoſque ſacrat Numini

Mellea

Mellea deuoluens de pectore verba profundo:
Vt ſpumat albus nectare
Ille latex, qui quadrifidis [a] *Edenia riuis*
Interſecat pomaria.
Turba licet Vatum Dauidis de fonte frequenter
Fauces rigarit aridas;
Non tamen à crebro ſenſit diſpendia potu,
Adhuc perennat hic liquor.
Cur ea tam parco libat [b] MOMORANTIVS *ore,*
Summiſque labris pocula?
Exhaurire quidem poterat; ſed maluit eſſe
Non inuerecundam ſitim.

a Eden eſt Paradiſus terreſtris, quatuor fluuijs irrigatus.

b Quindecim dumtaxat Pſalmos, decimam totius Pſalterij partem, interpretatus eſt Momorantius, & Deo velut decimas ſacras libauit.

ANTONIVS STRATIVS
ex eâdem Societate.

Digitized by Google

FRANCISCI MONTMORENCII E SOCIETATE IESV IDYLLIA SACRA.

Egrediamur in agrum, commoremur in villis.

Cant. Cant. cap. 7.

PRÆFATIO.

Titulus Libelli huius eſt Idyllia antiquæ appellationis. Idyllion enim ſpecies eſt Bucolici carminis, quo nullum inter omnia genera carminum aut vetuſtius, aut venuſtius. Tantum ſiquidem genuinâ gratiâ ceteris Poëmatis præſtat, quantum natiuus oris color fucis omnibus antecellit. Huius porrò certior origo, miſſis Græcorum fabulis, mihi videtur repetenda paullò altiùs, à primis vſque Patriarcharum Hebræorum temporibus. Paſtoralem illi vitam coluerunt; paſtorali cantu potiùs quàm ſcripto carmine, ſæculi, quo viuebant, aurei felicitatem, ludos, nuptias, funera celebrarunt; agrorum ſeceſſu paſtores illos ad meditandum carmen inuitante. Quin & paſtrices puellas legimus, quotannis in vnum conuenire ſolitas; vt per dies quatuor filiam Iephtes alternis verſibus plangerent. Id enim ſonat vox Hebræa *thannoth*; quæ, non tam plangere, quàm alternis dicere ſignificat. Innuit hoc verbo ſacra Iudicum Hiſtoria, poëtrias illas in agreſti ſcenâ filiam Iephtes annuo Dramate repræſentaſſe; quò commiſerationem & planctum in auditoribus excitarent, eorumque mentibus varias in-

clytæ

clytæ virginis virtutes in miſcellaneum velut vnguentum artificio poëtico colliquatas permixtaſque, ſubodorandas exhiberent. Et ſanè nihil opportunius; immortalis vt Heroinæ *memoria in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij*, iucundè non minùs quàm vtiliter ad poſteros dimanaret. Hoc Hebraidum exemplo, Phœniſſas opinor & Ægyptias mulieres, Hebræis cõfines, Adonia canere inſtituiſſe, nobile Bucolici carminis genus. Exceperunt veterum hunc vatum morem aliquanto pòſt interuallo Dauid, Salomon, Iſaias. At quales hi cantores? Quid, quęſo, tenerius Epicedio, quo Saüli Regi Dauid gener parentauit? Quàm molles in eo affectus, quàm decenter recurrens intercalaris verſus? Quid feſtiuius Genethliaco illo carmine, quo fauſtos Mundo Emmanuelis ortus proſequitur Iſaias, vaticiniorum ſuorum capite vndęcimo? Eò, niſi fallor, alluſit Virgilius Eclogâ quartâ; quam in gratiam proximè naſcituri Meſſiæ, non Salonini pueri, cõſcripſit: vt fuſiùs interpretatur Diuus Conſtantinus Cæſar, cap. 20. Orat. ad Sanct. Quid excellentius denique Salomonis Epithalamio, cui Titulus Canticum Canticorum? Quanta in eo vis, gratia, indoles, Bucolici carminis? qui loquuntur, Vpiliones ſunt; pathemata, dicendi character, miræ ſimplicitatis & candoris; comparationes,

Vide Euſebium.

non

non niſi de rebus ruſticis mutuatæ. Laudant ſe Amantes de formâ, conſuetudine inter Bucolicos poëtas receptâ: ſunt officia, ſunt zelotypiæ, ſunt in Amore viciſſitudines; cuius vis, tam indomita quàm Mors; cuius æmulatio, ſicut infernus; cuius lampades, lampades ignis atque flammarum mirâ deſcribuntur energeiâ. Sub huius Amoris paſtoralis typo, ſapientiſſimus virorum Salomon, Eccleſiam à Chriſto in Sponſam electam, Deum hominem factum, maximâ denique ſapientiæ cæleſtis arcana priſcorum Theologorum ritu ſolerter adumbrauit. Sic Ægyptij ſacerdotes ſacratiora Myſteria non vulgaribus litteris, ſed Hieroglyphicis figuris exprimebant; ac proinde Sphinges ante templa collocari iubebant, vt intelligerent adoratores, quæ in cærimonijs traderentur, ea ſub ſymbolis & ænigmatibus, altiorem ſenſum includere. Velatur hîc Allegorijs Diuina ſapientia; nec tamen vſque adeò latet, quin illam perſpicax Lector deprehendere valeat, ſi mentis aciem trans extimum litteræ corticem acriùs intendat, & quaſi per minutos calathi cancellos rimetur *mala aurea in argenteis lectulis*, id eſt caniſtris, aſſeruata. Totus operis ordo planè poëticus eſt, qui à medijs colloquia paſtorum inchoet. Nihil hîc exegematicum, omnia Dramatica. Quatuor in totum ſunt perſonæ; Sponſus,

Sponſà,

Sponſa, & vtriuſque comites. Sed quarta perſona (quod & monet Horatius) numquam in his Diuerbijs ſimul cum alijs loquitur. Denique, ſi audiendi ſunt Grammatici, qui volunt Poëma Bucolicum vnico conſtare debere argumento in plures Eclogas diuiſo; quanto ſuperior erit hac in parte noſter Salomon Bione, Theocrito, Marone, & alijs qui ſibi legem hanc ſeruandam non putarunt. Omnibus igitur numeris abſolutum hoc Salomonis Epithalamium velut exemplar ſibi Theocritus imitandum propoſuit in eo, quod Helenæ ſcripſit, Epithalamio; in quo non obſcura Salomonici huius veſtigia paſſim eſt obſeruare. Vterque enim, in conſimili Nuptiarum argumento, Sponſæ quam celebrat pulchritudinem æqualium Adoleſcentularum comparatione extollit; quarum certus & definitus numerus apud vtrumque exprimitur. Ac rurſus ſimili modo ſuam vterque Sponſam exorienti Auroræ, cupreſſo in horto, equo in curru comparat. Nam Græca ſeptuaginta Interpretum verſio habet: *Equa mea in curribus Pharaonis aſſimilaui te*. Quam ſeptuaginta ſeniorum verſionem in Alexandriæ bibliothecam relatam Theocritum legiſſe, ex eo fit mihi veriſimile, quòd Callimachus illi bibliothecæ poſt Demetrium Phalereum præfuerit ſub id tempus, quo Theocritus, Lycophron, & alij ex fa-

moſâ

moſâ illâ poëtarum Pleiade, Regi Ptolemæo Philadelpho familiariter adhærebant. Nec dubium eſt quin illi poëtę, è ſacris Litteris iam in Græcum ſermonem conuerſis, plurima in ſuos vſus deriuarint. Diſertè id affirmat Tertullianus in Apologetico cap. 47. *Quis poëtarum*, inquit, *qui non omnino de Prophetarum fontibus potauerit?* Ad illos te fontes, Chriſtiane Lector, compendio ducimus, dum hos omnes Hagiographos Bucolici carminis ſcriptores, tibi, in hoc Idylliorum Libello velut ſub vnum aſpectum exhibemus. Erit vnus & alter fortaſſis in eo numero, qui ſublimi genere dictionis interdum aſſurgere videatur: ſit ita, vt videtur; non ideò tamen eum mihi prætereundum putaui. Vt nec Theocritus à ceteris Idyllijs ſubmouit illa quæ prolixiùs in laudes Hieronis & Ptolemæi Regum grandiori ſcripſerat charactere: nec ipſe Virgilius Bucolicis ſuis excludere voluit Silenum, Gallum, Pollionem, Eclogas grauioris argumenti, quàm vt merè Bucolicæ dici poſſent.

Boni conſule, candide Lector, & his fruere.

REVERENDO PATRI FRANCISCO MONTMORENTIO IDYLLIA SACRA SCRIBENTI.

HEroum FRANCISCE *genus, cui præmia Virtus*
Illo, quo ſatus es, ſanguine digna dedit;
Præcipuè tot cùm titulos in tædia vertit,
Et tibi pro titulis omnibus ipſa fuit.
Quàm iuuat vmbroſos tecum conſcendere colles,
Caraque Cælicolis, & tibi, rura ſequi?
Et fontes luſtrare ſacros, lucoſque ſonantes
Diuûm carminibus, carminibuſque tuis?
Alluſio ad duo Idyll. PASTOR-BONVS & BETHLE. *Sed mihi Bethlemî placeant ante omnia valles,*
Et quæ Ieſſides per loca duxit oues.

Hic

Hîc inter nemora, & gratas paſtoribus vmbras,
Cantando tenuit, demeruitque Deum.
Tantaque maieſtas calamis & arundine paruâ,
Et ſtipulæ potuit ſimplicitate capi.
Hîc, dum manè nouo ſtabulis educeret agnas,
Ipſa ſimul Pietas manè petebat agros.
At non ſacra pecus loca tangere paſſus, & olim
Conſcia naſcentis tecta futura Dei.
Quamuis æſtus erat, quamuis grex languidus vmbras
Quæreret, & medio frigora grata die,
Et Bethlæa gregem traheret ſpecus: attamen, Vmbram
Hîc captare meæ parcite, dixit, oues.
Relligioſus ineſt qui vos hinc arceat horror,
Rupe ſub hac infans vagiet ipſe Deus.
O quoties, paruus caneret dum talia Vates,
Immemor ardoris ſubſtitit omne pecus.
Sæpè etiam Superi puerum cinxiſſe feruntur,
Cantuſque ad pueri continuiſſe ſuos.
Parte aliâ ante pedes Salomoni æterna canenti Alluſio ad Idyll. SALOMO.
Fœdera mirantes procubuere feræ.
Impauidæ circùm vitulæ taurique iacebant,
Et lupus attento mixtus & vrſa gregi.

Alluſio ad Idyll. IESVS-AMISSVS.

Fallor? an his etiam in ſiluis quæſiuit & antris
Sollicito natum cum ſene diua Parens?
Et fas hunc, inquit, certis deprendere ſignis;
Eſſe aliquem è Superis arguit ipſe decor.
Quæ referat violas eſt veſtis, eburnea ceruix,
Aurea cæſaries, matris in ore color.
Hæc ibi me FRANCISCE *iuuet memorare, tuoſque*
Quamuis diſſimili voce referre modos.

Alluſio ad Idyll. THIRANTHROPIA.

Aſſyrijs ô qui modò lucis inferat! ô qui
Me modò Chaldæi ſiſtat ad amnis aquas!
Fuſus vbi in muſco Daniel ad flumina, Regem
Ire boues inter vidit, & eſſe bouem.
Vt videt, vt plorat, dum quâ modò fronte coronam
Hac Dominum ſpectat cornua ferre ſuum.
Ferreus eſt lacrymis, ſi quis non tangitur iſtis,
Ipſo qui fletur plus feritatis habet.
Ferreus eſt etiam quem non Hebronia Tempe,
Nec Libani valles plus Helicone iuuant.
Huc feror. his primùm cælo delapſa Poëſis
Montibus errauit, cultaque diua fuit.
Non petulans oculiſve argutans mollibus ignes,
Nec miſcens numeris verba pudenda ſuis.

Qualem

Qualem Cecropiæ mox proſtituiſtis Athenæ,
Romaque dein mundi, nequitiaque caput.
Sed penitus formoſa, ſuoque ſimillima cælo;
Blandaque, ſed quamuis blanda, pudica tamen.
Cingebat caſtam Pudor & Sapientia Diuam,
Caſtus cum telis ad latus ibat Amor.
Vatibus hæc primis iunctas oſtendit auenas,
Suggeſſit numeros, materiemque dedit.
Fluminaque & ſiluas cantare, & numen in illis
Juſſit; &, Hoc Diuûm credite, dixit, opus.
Fortunate ſenex, per te redit illa voluptas,
Seque iterùm naſci ſæcula priſca vident.
Illa tuis tota eſt, cantatque in verſibus ætas;
Totque ſimul Vatum quod fuit, vnus habes.
Vnde, precor, tantus vigor eſt ægroque ſenique?
An labor ipſe tuis eſt medicina malis?
An tibi dilectis venere è montibus herbæ,
Inſtaurare annos quæ potuere tuos?
An potiùs Dea quæ primos docuiſſe Poëtas
Creditur, has vires ingeniumque facit?
Sic eſt. illa tuum cæleſti nectare pectus
Imbuit, & docuit numine digna loqui.

Et manibus modò plectra dedit, gracileſque cicutas,
Aptaque temporibus laurea ſerta tuis:
Et modò, qui Superos traherent, dictauit amores,
Et modò quæ poſſent verba domare feras.
Non ſinit hac eadem longos ſentire dolores;
Non ſinit annorum, non meminiſſe tui.
Ergo licet morbiq; premant, morboſq; ſenectus
Ipſa grauet, numquam te ſinet illa mori.
Nam quemcumque ſemel placido Dea lumine vidit,
(Hei mihi! quàm paucis euenit iſte fauor)
Ipſe ſibi ſupereſt, viuitque à funere Vates,
Et mors, illius nil niſi corpus habet.

SIDRONIVS DE HOSSCHE
è Societate IESV.

APES

APES IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Hoc Idyllio ſub APVM SAMSONIS typo, S.D.N. VRBANI VIII. Pontificis Maximi gentilitiæ APES adumbrantur.

Ex cap. 14. Lib. Iudic.

ARCET *ab* VRBANI *me laudibus æmula cælo*
Maieſtas. Sed & has aliquâ tamen annue parte
Muſa verecundis mihi delibare cicutis.
Alter erit maiore tubâ qui regna Piſauri
VRBANI *canat auſpicijs adiecta recenter*
Imperio veteri: meus hanc pudor impare verſu,
Et tentare leui formidat arundine Laurum.
Argumenta meæ minùs ambitioſa Thaliæ
Donet APIS, *ſancto quæ nectare largiùs ora*
Imbuit VRBANI, *quàm nobilis antè poëta*
Cuius Agonales Thebe vetus audijt Odas.
Tu mihi progenies ades ô certiſſima cæli
BARBERIDVM *gentilis* APIS, *paullumque relicto*
Colle Quirinali, noſtras inuiſe myricas,
Dum cano Bucolicum, ſed non ignobile, carmen.
Carmen ab intonſo primùm Samſone repertum,
Quodque ſub obſcuro prudens Ænigmate texit;

Et manibus modò plectra dedit, gracileſque cicutas,
Aptaque temporibus laurea ſerta tuis:
Et modò, qui Superos traherent, dictauit amores,
Et modò quæ poſſent verba domare feras.
Non ſinit hac eadem longos ſentire dolores;
Non ſinit annorum, non meminiſſe tui.
Ergo licet morbiq; premant, morboſq; ſenectus
Ipſa grauet, numquam te ſinet illa mori.
Nam quemcumque ſemel placido Dea lumine vidit,
(Hei mihi! quàm paucis euenit iſte fauor)
Ipſe ſibi ſupereſt, viuitque à funere Vates,
Et mors, illius nil niſi corpus habet.

SIDRONIVS DE HOSSCHE
è Societate IESV.

APES

APES IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Hoc Idyllio ſub APVM SAMSONIS typo, S.D.N. VRBANI VIII. Pontificis Maximi gentilitiæ APES adumbrantur.

Ex cap. 14. Lib. Iudic.

ARCET *ab* VRBANI *me laudibus æmula cælo*
Maieſtas. Sed & has aliquâ tamen annue parte
Muſa verecundis mihi delibare cicutis.
Alter erit maiore tubâ qui regna Piſauri
VRBANI *canat auſpicijs adiecta recenter*
Imperio veteri: meus hanc pudor impare verſu,
Et tentare leui formidat arundine Laurum.
Argumenta mea minùs ambitioſa Thaliæ
Donet APIS, *ſancto quæ nectare largiùs ora*
Imbuit VRBANI, *quàm nobilis antè poëta*
Cuius Agonales Thebe vetus audijt Odas.
Tu mihi progenies ades ô certiſſima cæli
BARBERIDVM *gentilis* APIS, *paullumque relicto*
Colle Quirinali, noſtras inuiſe myricas,
Dum cano Bucolicum, ſed non ignobile, carmen.
Carmen ab intonſo primùm Samſone repertum,
Quodque ſub obſcuro prudens Ænigmate texit;

Ne foret Allophylis interpres in omnibus vllus
Carminis erueret qui ſenſa latentia; donec
Vxor id arcanum ſimulato perfida fletu
Eliceret, facili ſic adblandita marito:

THAMNITIS.

Si qua foret, Samſo, noſtri tibi cura; latere
Non ſineres arcana tuam, reor, iſta puellam.
Quid prodeſt, inij quòd ſacra iugalia tecum;
Si mens non eadem, non eſt par ſenſus vtrique,
Si qua ſcis, ego ſcire vetor? cur fingis amare?
Ah nimiùm ſunt facta tuis pugnantia dictis.

SAMSO.

Parce queri. Non ſi materque paterque rogarent,
Hæc arcana velim matri vel credere patri.
Vtilius neſcire tibi eſt. Sine, quæſo, fatiget
Hoc alios quibus eſt Ænigma reſoluere cordi.

THAMNITIS.

Cauſſando grauiùs noſtros accendis amores.
Septima lux teritur precibus mihi, nec tamen audis
Crudelis! per ego has lacrymas, per ſi tibi quidquam
Dulce meum, precor hæc ne me celaueris vltrà.
Cur retices? num noſtra tibi ſuſpecta fides eſt?
Num metuis ne fortè meis ea ciuibus edam?
Sed

Sed priùs exſcindi linguam radicitus iſtam,
Quàm ſecreta mihi patiar commiſſa reuelli.
Tuta times. Si te fallo, me numina fallant.

SAMSO.

Fáſne puellarum promiſſis fidere quemquam?
Viſcus aues, calamus piſcem, venatica ceruas
Lina, viros capiunt iurantis verba puellæ.
Improbitate tui vincor, non pondere voti.
Nec quia commiſſum ſperem te poſſe tacere,
Sed quia cogit Amor, nodum tibi carminis huius
Expediam, primâ repetens ab origine mecum.
Hic ſimul intereà viridi ſuccede ſalicto,
Dum mediæ frangat ſeſe calor iſte diei.
Ibam fortè meos viſens te nuper amores,
Iamque propinquabam Thamnæ; ferus ecce repentè
Se Leo proripuit latebris, rugitibus implens
Omne ſuburbanum, meque in certamina poſcens.
Quid facerem? pudor hinc & virtus conſcia turpi
Me dare terga fugæ prohibebat; inermis at illinc
Quî poteram monſtro concurrere, quale nec vmquam
Decolor in vaſtis aluit Gætulia campis?
Non iaculum, non enſis erat, non ſpicula: verùm
Adfuit in tanto præſens diſcrimine Numen,
Et dedit aduerſo ſecurum pectus vt hoſti

Obijcerem; qui ſupremos arrectus in vngues
Inſilijt, totâque ruens me mole petiuit.
Ipſe ſteti fidente gradu, contráque tetendi
Brachia librati pondus ſubitura leonis,
Atque lacertorum firmis hunc nexibus vrgens
Afflixi violenter humo, fauceſque prehenſas
Diſcerpſi tribus his digitis in fruſta; cadauer
Ocyùs abijciens inter vineta, propinqui
Incipiunt Thamnæ quà ſe ſubducere colles.
Ponè ſequebantur ſenio tardante parentes;
Non tamen hæc illis ſuperata pericula dixi.
Quanto ſit ſatius non te quoque plura docere?

THAMNITIS.

Imò age Sponſe, mihi dulciſſime Sponſe virorum,
Ordine cuncta refer, nec ſpes intercipe noſtras.

SAMSO.

Iam ſolidum noua Luna quater reparauerat orbem,
Condictamque meis tulerat ſponſalibus horam,
Ingredior cùm rurſus iter, pauliſper ab alto
Aggere deflectens ad amœna vireta, Leonis
Funus vbi nudâ lacerum tellure iacebat.
Heic examen Apum video crudelis in ore
Mellificaſſe feræ; ſedem ſibi legerat ales
Nectaris heic opifex, & cerea caſtra locarat,
Vis vbi barbarieſque priùs regnare ſolebant.

Quis

Quis dulces exire fauos à Rege ferarum
Credat? ab immiti ſperet quis mella Leone?
Auguror & terris nunc aurea ſæcla redibunt,
Atque iterùm duræ ſudabunt balſama quercus;
Aërij quando mellis vindemia fluxit
Faucibus è medijs, rictuque Leonis aperto,
Vnde fauum legi: pars ceſſit vtrique parenti,
Altera miſſa tibi eſt; & me pars tertia pauit.
Altrices mihi ſemper Apes ſaluete! Labori
Aſtra precor faueant ſic conſpirantia veſtro,
Sic lacrymas Aurora ſuas diſpenſet, in vſus
Sic pateant veſtros liquidi commercia cæli;
Perpetuam fundat meſſem ſic diues odorum
Hortus, & irrigui circum violaria fontes.
Hoc quod agreſte cano vobis, ne ſpernite carmen.
Veſter ego Vates (Vatem nam me quoque dicunt
Paſtores, quamuis timidè ſim credulus illis)
Semper ad aſtra feram diuini mellis honores;
Semper APVM *pangam lepido præconia verſu.*
Ne tamen ignauo ſit peruia cuique poëtæ;
Diſſimulata mihi ſub Gripho Muſa latebit.
Talia Samſonem meditantem Thamnis, & omne
Vicinum ſtupuit nemus. Hæc precor aura Fauoni
Deferat VRBANO *dextram reuerenter in aurem.*

AD-

ADMODVM REVERENDO
PATRI NOSTRO
MVTIO VITELLESCO
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI.

HÆc mihi diſparibus nuper tentata cicutis
Carmina Thesbitæ, Pater, excipe fronte ſerenâ,
Tot curas inter tantæque negotia molis,
Commiſſos tibi dum Socios moderaris IESV.
Sic Iſraëlem Thesbites magnus habenis
Continuit, Patriæ ſolers auriga quadrigæ:
Sic animis adijt. Superos fidentibus, audax
Non reſcindendas cælo præſcribere leges.

ELIAS IDYLLION.

Quà propè littoream ſpectat Carmelus Iöppen
Pumiceo latuiſſe ſpecu perhibetur Elias;
Has vbi ſubmiſſo dedit olim poplite voces:
O vos antè meo ſuſpenſæ carmine nubes,
Sat vetitos clauſo tenuiſtis in æthere nimbos,
Et

Et ſonti pluuias interdixiſtis Achabo:
Nunc aperite ſinus; nunc ſurge procelliſer Eure,
Aëris en vitio moriens tibi ſupplicat herba.
Iam mea iam pluuiam deducite carmina cœlo.
Tertius hic miſeris September agreſtibus exit,
Immodicis ex quo nemus omne caloribus, omnis
Aret ager. Languent Sabamæ vineta ſupinæ,
Rore nec aſſueto recreatur oliuiſer Hermon,
Areaque eluſas ſuſpirat Ephratea meſſes.
Iam mea iam pluuiam deducite carmina cœlo.
Non Achoritanæ cytiſum, non gramina valles
Vlla ferunt: paſſim pecus interit; ipſaque nudos
Flumina deſtituunt in ripæ margine piſces.
Omnis abeſt pridem riuis & fontibus humor.
Iam mea iam pluuiam deducite carmina cœlo.
I nunc, funde preces Belo, peregrine ſacerdos,
Si tempeſtiuos ſegeti det forſitan imbres.
Quid ſurdo canis? ille tuâ nil voce mouetur.
Sed mihi qui caſtè colitur Deus, applicat aurem,
Pectus & humanis gerit exorabile votis.
Iam mea iam pluuiam deducite carmina cœlo.
Ecce mari nubes effert ſe parua. Bonum ſit.

Ecce

Ecce alias alijs è partibus Eurus & Auſter
Agglomerant, aliaſque ſuper conuoluit Iäpix
Noctem hiememque ferens. propior ſonat ecce procella.
Iam mea iam pluuiam deducite carmina cælo.
Curre puer, Regi reſponſum perfer Achabo,
Curru iungat equos, & iter voret antè, tumeſcens
Quàm ſubitis Ciſſon vetet auctibus. Aſpice latis
Totus vt in terras deſcenderit imbribus æther,
Verſicolorque boni proceſſerit ominis arcus.
Quot Samaritanis hic gaudia nuntiat hortis?
Quas in ſpes reſidem Chananitidos erigit vuam?
Pergite de glebâ, nubes, ſitiente mereri,
Pergite fecundos inuergere largiùs imbres:
Nondum prata ſatis, nondum ſatis arua biberunt.

AN-

ANTONIO DE MONTMORENCY ABBATI S. ANDREAE ET FIDEMII FRATRI SVO

PASTOR-BONVS IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Puerum Dauidem gregi ſuo præficit Parens Iesse. Sub Davidis autem perſonâ verus Ecclesiæ Pastor deſignatur.

Lanigeri quæ cura gregis, qui cultus habendo
Sit pecori, Dauidem Pater erudiebat Ieſſe,
Dum puero mandaret oues. Tu ſiue FidemI,
Seu regis Andreæ Germane libentiùs agnos,
O ades; & ſi quid potes hac ceſſare ſub vmbrâ,
Obediden audire iuuet, cui plaudit Ephrata
Et nemus & tali pulſatus carmine collis.
O puer alme tuis placeant, ſine, fratribus vrbes:
Tu mihi paſce gregem. vocat hæc te blanda venuſtas
Ruris, & irrigui gelidis in vallibus amnes.
Sume pedum, tibi gratatur canis ecce magiſtro,
Stant

Stant & oues circùm,pueri nec pœnitet illas;
Nec te pœniteat pecoris puer auree; Patris
Pauit & ipſa gregem quondam formoſa Rebecca:
Illa grauem geſtans humeris candentibus vrnam
Ad puteos ducebat oues, pleniſque iubebat
Sedula currentem potare canalibus vndam.
Incipe care puer placidas mulgere capellas,
Lactea cerne tuis demittunt vbera palmis,
Incipe care puer:teneri puerilibus agni
Imperijs gaudentque regi, ſaliuntque per herbam
Lætitiâ implentes latè balatibus agros.
Dum cytiſum læti per pinguia paſcua carpent,
Tu denſas inter corylos lauróve ſub altâ
Diſparibus magnum calamis imitabere Moſen,
Qui gracilem primus labris admouit auenam:
Et tua Legifero certabunt carmina vati,
Quamuis ille ſenex,quamuis ſis paruulus ipſe.
O felix nimiùm grex te paſtore futurus!
Si lupus inſidijs,leo vi graſſetur apertâ;
Nec puer inſidias,nec vim curabis apertam,
Certus ab articulis prædam extorquere leoni.
Sed neque turpe tibi duces languentibus agnis
Suppoſuiſſe humerum,ſi quos procumbere campo
Videris oblitos ſeræ decedere nocti.
At ſi tentet oues ſcabies aut arida febris,
Principijs vigil occurres;damnoſa priuſquam

Per

Per reliquum ſerpant temerè contagia vulgus.
Dulcibus idcircò fluuijs quandoque lauabis
Omne pecus; miſſuſque ſecundo defluet amne
Dux aries, donec ripas euadat in altas.
Indole macte puer tali! ſic gloria ſurget
Æqua tuo, ſic par merces pretiumque labori.
Vimineis quàm munda tibi quàm mollia qualis
Vellera condentur, Tyrios potura rubores?
Quàm largè fetura tuum ſupplebit ouile?
Omne gemelliparis ſtabit tibi matribus agmen.
Qui Libani frondes, Libyæ numerarit arenas;
Nouerit is Bethles quot ages in montibus agnos.
Sed nec ager quamuis pateat Bethlemius amplè,
Teque tuumque gregem capiet. Pomœria profer
Latiùs ô Superis puer acceptiſſime; funes
Texe tibi longos, vt dum metabere campum
Sufficiant ſeptis: nec enim ſatis vllus alendo
Limes erit pecori, ſed ſuccedentibus annis
Extremum implebis ſolis vtriuſque cubile,
Et quà manè recens rubicundo ſurgit Eoö,
Et quà feſſus aquas ſubit occubiturus Iberas.
O quæ frigoribus medijs pandentur ab Arcto
Paſcua, diſcuſſis tibi iuſſa virere pruinis!
Auſter & ipſe nouas reteget ſub ſidere Cancri
Quæ non immodico valles vrantur ab æſtu:
Æthiopumque volent ſcatebris deſerta rigari,
Vt tua ſuppeditent viuos ad pocula fontes;
Si mihi non vanus dedit hæc reſponſa Sacerdos.

V BE-

BETHLE IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Fortè grex Ieſſe ad declinandum æſtum incautiùs ſe admouerat antro Bethlehem, cùm puer David paſtor oues ſubmouit longiùs à loco ſacro, vaticinans olim ibi naſciturum Christvm.

Æſtus erat, medioq́ue die grex languidus vmbras
Quærebat gelido Bethleæ rupis in antro;
Cùm David admonuit ſic (fati conſcius) agnas:
Parcite oues propiùs ſanctas accedere rupes;
Religioſus ineſt qui vos hinc arceat horror:
Sicut ab ardenti reuerentia Numinis olim
Submouiſſe greges Moſis perhibetur Orebo.
Ter Veneranda mihi ſalue Bethlemia cautes,
Et ſpecus; inuideat meritò cui Regia cæli:
Linquet enim cælum Deus; hoc ſtabuletur vt antro,
Suſpendunt humili quod agreſtes fornice tophi.
Vſqueadeóne Deus ſeſe demittit, vt aſtris
Præferat in nudâ durum ſibi rupe cubile?
Ite precor celeres, ouium properate magiſtri
Mollia diuinis ſubſternere vellera membris:
Concubiâ vos nocte monent ſine corpore Mentes
Æthe-

Æthereæ; vos ipſe polus vocat: ocyùs ite.
Felices quos hoc Superi dignantur honore
Paſtores! hominum primi ſpectabitis ergo
Puſio mortales quos heic Deus induet artus?
Vos pia figetis cœleſtibus oſcula plantis?
Vos Puero dabitis facili munuſcula cultu,
Mitia poma, nuces, ſpumantia cymbia lactis;
Quæ puer arridens, quamuis ſint ruſtica, ſumet?
Non thus, non aloë, non illi gratius aurum
Adueniet; procul Eoö quod ab Orbe, vocati
Prodigijs, ſiſtent ſubmiſſo poplite Reges.
Quæ tibi Virgo-parens mulcebunt gaudia pectus,
Purpurei quando ponent diadema Tyranni
Ante tuos Natique pedes? hos excipe vultu
Diua bono: tollant Puerum ſine, Mater, in vlnas,
Quamuis ille tuis pugnabit abeſſe papillis.
Trade ſacrum pignus: diſcent Infante magiſtro
Fallaces contemnere opes, contemnere luxus.
Fáſne ſibi poſthac ducant dormire ſub oſtro,
Naſcenti cùm ſint Domino præſepia cunæ?
Excipiátne Deum nudus lapis, aula ſuperbos
Aurea mortales laui laqueata cupreſſo?
Regibus incipiet paupertas ſancta placere
Numinis exemplo. Cælo Deus abſtinet, antra
Vt colat, & viui natiuos pumicis arcus.

Pro foribus longo non excubat ordine miles,
Nec vigil hæc armis ſepit cunabula lictor.
Cur timet Herodes? quid ab hoc Infante ca-
uendum?
Cur necat inſontes per Ephratea rura puellos?
Ah fuge Virgo-parens, pete littora tuta Ca-
nopi,
Eripe te cædi, ſanguis meus, eripe Natum:
Tempus erit, Solymo veniet cum victima monti.
Ite meæ vos hinc, audax pecus, ite bidentes.



GALADITIDES IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Mos inter ISRAELITAS receptus, vt quotannis puellæ GALADITIDES filiam Iephtæ per dies quatuor plangerent, huic Eclogæ argumentum fecit.

IAHEL.

EVigila: quid ſtertis Hylax, dum parua puella
Paſcit oues tecum? quid ſi lupus irruat agnis?
Sed venit ecce Thamar lepidi quid neſcio portans.
Vnde, aut quò Thamarilla? potéſne quieſcere paullùm
Hîc, vbi ſe molles ſubſternunt graminis herbæ,
Et teres inuitat decedere palma calori?

THAMAR.

Nil magis optarim. Quis te mea dulcis Iale
Intempeſtiuus labor hic tenet, otia quando
Quatuor hæ ſuadent feſta tibi ducere luces?

IAHEL.

Otia ſunt alijs; numquã mihi. Namque nouerca

Imperat iniuſtum, feſtâ quoque luce, laborem,
Has vt agam (quod nō illi benè verterit) agnas.

THAMAR.

Infelix! hanc quæ pompam non videris, ô quos
Iephtiadi ludos chorus inſtaurauimus omnis
Nympharum? quæ vota piæ perſoluimus vmbræ?
O quale alternis cecinerunt carmen, Eliſa,
Et Marie noſtris famoſa poëtria ſiluis?

IAHEL.

Tu memora, pompæ leuiorem feceris huius
Iacturam, mihi ſi referes, quæ videris ipſa.

THAMAR.

Hoc ago, ſi meminiſſe queam. Latiſſima Maſpha
Eſt in conſpectu vallis, quam ſcena coronat
Deſuper ilicibus denſis, multaque cupreſſo.
Huc ſimul ad tumulum Iephteæ Heroidos omnis
Turba puellarum quouis concurrimus anno.
Pars calathis violas & candida lilia plenis
Expediunt, cumulantque roſis halantibus vrnam;
Pars pedibus plaudunt choreas; pars carmina dicunt,
Et paſtoralem dant in proſcenia Muſam.
Sunt quoque victrici ſua præmia, ſimplice textus
Vimine

Vimine reticulus, detritâ pendulus anſâ,
Garrula cancellis vbi clauſa tenetur acanthis.
Sorte prior certamen init, meditataque paullùm
Cœpit Eliſa ſuos liquido ſic gutture cantus:
Ecce Galadinis velox tulit Hora puellis
Annua plangoris ſimulamina Virginis almæ
Ad tumulum. Vos ô Nymphæ plorate ſodales
Jephtiadem, Nymphæ mecum vos iungite planctus.
Iephtias inſtituit fieri ſibi talia: carmen
Exequiale ſibi cecinit moritura per altos
Iephtias Hermonis lucos, valleſque profundas,
Plangoriſque ſui voluit meminiſſe minores.
Heu Virgo miſeranda! tua quò vota parentis
Quò recidunt? Heu infelix, te cælibe, mater!
Infelix mater magis, an miſeranda puella?
Et miſeranda puella, infelix tu quoque mater,
Vnica nubilibus cui filia deperit annis,
Spes generis tanti. Tua nunc erit orba ſenectus.
Heu! apium quoties aut braſſica vilis in horto
Intereunt, alium toties naſcuntur in annum;
Et ſucciſa redit, ſeſeque reſeminat arbos:
Tu decus Hebræidum Virgo, cui nulla tulerunt
Sæcla parem, primo cælebs extingueris æuo,
Et pariter tecum Iephtæ domus interit omnis.
O dolor æternus! ſæclis ô flenda futuris,
Nec tamen Hebræis ſatis vmquam fleta puella!
Quantas iſta bibent lacrymas tua buſta quotannis?

Quanta puellarum nemus hoc lamenta videbit?
Non reor ad tumulum formoſæ plura Rachelis
Temporibus Bethle ſpectauit Ephratea priſcis.
Hæc libaſſe tuo nos qualiacumque ſepulchro
Nunc ſat erit; redeunte iterùm lugeberis anno.
Finierat. Fauor excepit motuſque corona.

IAHEL.

Et me neſcio quâ dulcedine carmen Eliſæ
Mulſit; apum veluti lenes æſtate ſuſurri,
Aut ſalices inter crepitantis ſibilus auræ.
Dic modò quæ contra Marie reſponderit. illi
Non equidem facilis, me iudice, palma futura eſt.

THAMAR.

Ceſpite de viridi ſurgens, philyraque reuinctâ,
Hæc Marie tactis ſubiunxit carmina neruis:
Parcite lamentis ſanctos offendere Manes:
Maſcula namque coli virtus Heroïdos odit
Talibus officijs, & degeneri vlulatu.
Deuotam patriæ pro libertate puellam
Cur gemitis? Quid tum ſi cælebs egit? & ampla
Indelibatos commendat gratia flores.
» *Caſta placent Superis. Hac virginitate ſeuera*
Filia demeruit Iephtæ ſibi numen amicum,
Iſacidiſque. tibi, Virgo, debere fatemur
Quòd lupus à noſtris Ammonius abſtinet agnis,
Quòd nec Idumæos metuant armenta leones,

Aſſy-

Aſſyriáſve feras. hæc tu facis otia nobis.
Ergo redux formoſa tuo Pax munere terris
Fundit opes pleno per rura virentia cornu,
Lacte fluunt fontes, Arnon tibi nectare currit,
Galgala melle natant, ſtillat Carmelus oliuo:.
Saniris ipſe tuos vertex nemoroſus honores
Sentit, & ediſcunt ipſæ tua nomina cedri,
Ipſa ſonant arbuſta. Mihi ſaluete beati
Iephtiadæ Manes! & candida virginis vmbra
O ades, & tua viſe fauens pede feſta ſecundo!
Hac tibi de platano ſuſpendimus ecce corollas,
Cuius id in læui legitur breue cortice carmen:

Hoſpes, Iëphtiadi platanum venerare dicatam.

Unguentis illam, liquidoque rigamus amomo
Multa tui memores. coluit quam Debbora palmam
Laudabunt alij: platanus tua, maxima ſemper
Dicetur nobis, & erit quoque maxima ſemper.
Hæc memini. Sed tempus oues te cogere ſeptis:
Aſpice, iam ſoluit feſſis iuga bobus arator.
Et ſatis hæc referet tibi ſæpè diſertior Ægle.

NVPTIÆ RVTH IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Deducitur ſponſa RVTH Moabitis ad domum Boſi, mariti futuri, à decem virginibus Ephrateis ſponſam more priſco comitantibus. Non diſſimilem parabolam habes Matth. 25. cap. vbi decem Virgines noctu cum lampadibus exierunt obuiàm Sponſo & Sponſæ; & apertâ ianuâ, quæ paratæ erant, introierunt ad nuptias.

EXtulerat cælo iucundos Heſperus ignes
Qui deſponſa ſuo connubia perficit ortu;
Cùm ſimul innupta, Bethles è flore, puella
Conuenere decem: Tyrio par omnibus oſtro
Cultus, & in flauis hyacinthina ſerta capillis:
Læua manus feſtâ ſpargebat compita fronde,
Altera ſublato quatiebat pollice tedas.
Hoc ibat comitum genialis pompa paratu,
Ad nitidas Boſi dum ſponſam duceret ædes:
Intereà tenerum, quo proſpera fata precetur,
Coniugibus carmen ſic eſt exorſa futuris:
Quæ bona Sors huc ex Arabum te paupere campo
Elimela peregrina nurus concedere iuſſit?

Fortu-

Fortunata nimis! quam præ popularibus vnam
Mille ſuis locuples Salmonis filius ambit;
Quam facit Hebraidem non ſanguis, at inclyta
virtus.
Sicut adoptiuam viridaria pinguia myrtum
Accipiunt, à littoreis quæ tranſit arenis
Diuitis in domini rorantes fontibus hortos;
Aut velut areolis infertur raſile buxum,
Quod ſuper inculti ſtetit antè cacumina montis:
Sic merito iam noſtra tuo cenſebere ciuis.
Non animi dotes, ſed nec tibi corporis abſunt;
Forma bona eſt, tamen haud ſequitur laſciuia
formam.
Teſtis Ephrata tuum deprædicat vſque pu-
dorem,
Et ſublime vehit niueos ad ſidera mores.
Quæ tua ſit qualiſque modeſtia, vidimus ipſa,
Dum legeres ſpicas alieno nuper in aruo,
Pauca loquens, oculos in humum deiecta ni-
tentes.
Fortè ſuperueniens Herus vt te vidit, amauit.
Ergo tui fient tabulis dotalibus agri,
Ergo tibi cedent tam pinguia culta, legebas
In quibus exilem nobiſcum pauper ariſtam?
Scilicet Iſacidûm Deus hæc tibi commoda fecit.
Boſe nouas incide faces, ſuſpende corollas
Poſtibus: ecce Deo tibi ducitur auſpice coniux.
Talis ab extremo veniens Euphrate Rebecca
Iſacios fauſto tetigit pede ſponſa penates:

Sic

Sic Lia, ſic formoſa Liæ germana, Iacobi
Fundauêre domum numeroſâ prole. nec illis
Inferior dabit hæc hilari matrona marito
Pignora pulchra, ſuam referent ſi pignora matrem.

Lanificas age linque colos & penſa Noëmi;
Jam noua proueniet tibi cura. Senilibus annis
Diſce manu cunas roſei verſare nepotis:
Namque nepos decimo naſcetur menſe, receptus
Qui genibus dilata diu tibi gaudia portet,
Incipiens auiam molli cognoſcere riſu:
Ipſa crepundiolis dulcem mulcebis alumnum,
Donec in optatos componat lumina ſomnos.

Talia ſolemni canerent dum more puellæ,
Veſtibuli patuere fores; introque receptæ,
Feſtinas thalamum circa duxere choreas.

SALO-

SALOMO IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Hoc Idyllio laudatur & profanis aliorum Eclogis præfertur ſacrum SALOMONIS Bucolicum Poëma, cui Titulus CANTICVM CANTICORVM: quo, ſub Paſtoralibus ſcenis, IMMORTALI DEO, mortalem noſtram Naturam, atque adeò ECCLESIAM ſibi deſpondenti, Epithalamium cecinit.

QVod nemus, aut quæ vos habuerunt paſcua, Muſæ
Bucolicæ, molli Salomo dum lentus in vmbrâ
Paſtoris caneret Sponſalia fauſta Theandri?
Namque nec Alphei ripæ, nec Mænala vobis
Iniecere moram, nec opaci ſilua Lycei,
Tonſáve tercentum Ceæ dumeta iuuencis.
Fama eſt vos Tegeæ natali rure relicto
Corripuiſſe gradum lucos Gabaonis ad altos:
Pulcher vbi Salomo calamos non paſſus inertes
Silueſtrem tenui pangebat arundine cantum.
Ante pedes illi vitulæ taurique iacebant,
Lanigeroque lupus pecori permixtus, & vrſæ,
Cum catulis docilē pariter præbentibus aurem.
Venit & vpilio, robuſtus venit arator,

Venit

Venit Idumæi lignator & accola ſaltus;
Omnes, ad Solymi numeros, ſaliere Poëtæ.
Aſpiceres ipſas ſua prodere gaudia pinus,
Summaque coniferas motare cacumina cedros,
Dum canit afflatus diuino numine Vates
Connubium, cælo terras quod fœdere iungit.
Arcades vſque ſibi placeant, cantare periti
Arcades; at tantum cedunt Salomonis auenæ,
Gracculus arguto quantum ſi certet olori.
Multa Sionæum commendat gratia cygnum,
Seu trepidantis aquæ riuos, ſeu mollia cantat
Prata, vel halantes depingit floribus hortos:
In medijs vbi Sponſa roſis ſibi nacta cubile
Oſcula ſollicitat teneri, ſed caſta, Theandri;
Quà licet & placitis indulget amoribus. At quos
Principio dulces habet, experietur amaros
In viduis ab amante thoris deſerta Theandro.
Quos non eſt animo, non corpore paſſa dolores,
Erronem per cuncta ſuum dum rura requirit?
Ah virgo infelix te ſaxa per inuia durus
Raptat Amor, donec feſſos ſopor obruat artus!
Sed benè, ſopitæ quòd Amans ſuperaduenit; altam
Virginis & miſerans prohibet turbare quietem.
Vos ô per capreas Solymitides, oro, puellæ,
Mos quibus eſt humero pharetram geſtare comanti,
Sectarique leuis veſtigia flammea ceruæ;

Ne clamore feras in retia veſtra prematis,
Néve quieſcentem ſomno fraudetis Amicam:
Dormiat, & donec volet ipſa ſopore fruatur.
Sic etiam ſopita mihi placet. Vnicus iſte
Lactea neglectim qui pendet in vbera cirrus,
Cor mihi ſurripuit. & quid non cetera poſſint?
Me ſibi ſexdecies optarunt ſæpè puellæ;
Sola tamen Sulamitis habet. Sic Aſtra latere
Cuncta iubet, ſimul ac oriens Aurora refulſit;
Cedaris in ſaltu ſic palma, cupreſſus in horto,
Eminet in Pharijs equa ſic Phœniſſa quadrigis.
O varias in amore vices! amat ecce viciſſim
Ecce Theander amat. Nūc expergiſcere Virgo:
Te, tuus ille, vocat. Pariter rus ibitis vnà;
Et noua viſetis Sabamæ vineta ſupina.
Num gemmas ibi palmes agat reſcire iuuabit,
Punica num paſſim ſe floribus induat arbor.
Hinc ad aromaticos Libani tranſibitis hortos,
Tondeat areolas vt olentis Sponſus amomi,
Aſſyriumque metat calamum, caſiamque, cro-
cumque;
Addet Orontea lacrymas ſuper omnia myrrhæ,
Vndique conquirens dignū Sulamitide munus.
Pulchra quidem ſunt hæc à pulchro dona
Theandro,
His tamen eſt quanto donis pretioſior ipſe?
Candidior totus niuibus, folioque liguſtri;
Hunc niſi candorem confini diluat oſtro,
Mala coloratis rubicundior vtraque pomis
Pinxit

Pinxit in aprico quæ Sol pendentia ramo.
Vt nitet intonſis illi caput omne capillis,
Qualis oliuarum flaueſcit frondibus Hermon?
Vt gingiua pares ſeruat, candore niuali,
Et retegit pulchro digeſtos ordine dentes,
Perſpicuus ſoluat ſi labra decentia riſus?
Hac fluit eloquium vel melle ſuauius ipſo.
Quid digitos, tornóque manus radente politas,
Quid memorē Parias referētia crura columnas?
Eſt alius qui colla magis miratur eburna,
Prædicat hic oculos: ego cerea brachia laudo;
Et mihi par cedris aut lætior eſſe videtur
Hic habitus teres, hæc ſpecies procera Theandri,
Vertice ſic toto medijs in millibus extat.
Denique quidquid agat rerum, quidquídve loquatur,
Illecebris ſcatet omnis, & omnē ſpirat amorem.
Hunc ſortita virum fortunatiſſima Virgo,
Ne qua caue tibi vis, ne quis dolus auferat vmquam.
Hic erit ambabus geſtandus ſemper in vlnis,
Faſcis vt apprimitur fragrantis ad vbera myrrhæ:
Hic tibi ſeruandus Cypriâ vigilantiùs vuâ,
Qualis in Engaddi miteſcit vertice collis.
Omnia Dauidides Salomo quæ iactat Iūdæ
Montibus, agreſti dignatus ludere verſu:
Moxque repercuſſæ valles & concaua, cælo
Demiſſos cantus ſupera ad conuexa remittunt.

IOB

IOB IDYLLION.

PHILIPPO
COMITI DE GOMICOVRT
GVBERNATORI
BETHVNIENSI
CONSOBRINO MEO
SALVTEM.

His ego patientiſſimi virorum carminibus ſolatus ſum luctum, tibi mihique communem; quem mors nupera Robecani Principis germani mei vtrique attulerat. Lege, ſi placet, & faue.

Nulla, Philippe, meo medicina reperta dolori
Aptior, Huſſitæ quàm vatis nobile carmen:
Non aloës pretioſus onyx certauerit illi,
Non Ierichuntinis ſtillantia balſama virgis.
Diuini nam mella fluunt paſtoris ab ore,
Dum canit hæc triſtes pellunt quæ carmina curas.

X *Quis,*

Quis,pueri,vos huius amor,quæ tanta cupido
Lucis habet? ritu fugit illa volatilis vmbra;
Aut velut in pratis primo flos ortus Eoö
Antè cadit, ſurgat quàm roſcidus æthere Veſper.
Vſqueadeóne placet breuis hæc vſura diei?
Pluris abortiuum duco. non ille malorum,
Vita quibus ſcatet infelix,examina vidit.
Væ mihi! cur hauſi vitales luminis auras?
Cur genibus ſum ſuſceptus? cur vbera ſuxi?
Nónne mori ſatius fuerat? nunc altus haberet
Me ſopor,æternâ tegerer nunc lumina nocte.
Heu quot in ærumnas ſeruor? qui nuper habebar
Inter Idumæos fortunatiſſimus omnes,
Diues opum, pecoriſque; fimo nunc æger, inopſque
Incubo. non mecum veteres manſere ſodales
Fortunâ mutante fidem. non vxor adhæſit
Ipſa, meos aliquà ſaltem miſerata dolores.
Vndique deſtituor. Spes tu mihi rebus in arctis
Sola ſuper, quem das finem, Deus alme, laborum?
Non ita calcatis feſſus vindemitor vuis,
Non ſic impatiens aſpirat ad otia meſſor;
Vt pigros queror ire dies & tempora, donec
Me tuus immiti furor increpat vſque flagello.
Quando erit optatâ fruar vt poſt fata quiete,
Membraque non vlli poſthac obnoxia morbo
Induar?

Induar? illa manet cineres ſpes vna ſepultos.
Quis det vt in tiliæ molli mea carmina libro,
Aut vt Ophireo potiùs ſcribantur in ære?
I puer; hæc cedri tabulis oracula manda.
Credo quòd è cælo mihi ſit natalis origo,
In cælum reditura: ſimul dabit ænea ſignum
Buccina, ſupremuſque dies illuxerit Orbi;
Tunc ego de tumuli rediuiuus puluere ſurgam,
Obducetque meos pellis, velut antè, lacertos:
Accipiter veterem reparat quo more ſenectam,
Exuuijſque nouus poſitis plumeſcit, & alas
Exploraturus madidos ſe librat ad Auſtros.
Ipſe Deum clarâ præſens in luce videbo
His oculis. Sedet hæc altè fiducia menti;
Hac ego ſpe gelidam didici contemnere mortem.

SOMNIVM IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Dum paſceret gregem vnà cum fratribus ſuis IOSEPH adhuc puer, plus ceteris à patre dilectus; viſum ſibi ſomnium candidè & ſimpliciter retulit. Quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit apud fratres inuidos. Hæc Ecloga, Theocriteo eſt & tenui charactere.

RVBEN.

Manè nouo, nobis nouus hic quoque ſit labor agnas
Impreſſis ſignare notis, & inurere tonſo
Nomina noſtra gregi. Paruus mihi diſcat Iöſeph,
Depulſos à lacte recens, inſcribere fetus.

DAN.

Huic manda, ſi quid curatum nauiter optas.
Cernis vt in muſco iaceat, ſecurus ouilis?
Veſpere quid faciet, ceſſat ſi manè remiſſus?

IOSEPH.

Parciùs iſta tuo, frater, tamen obijce fratri.
Si neſcis, animo non me ſinit eſſe remiſſo
Cura grauis. Numquámne tibi dant ſomnia curam?

DAN.

DAN.

Ne mihi dent, caueo. Tu deſidioſus in vmbrâ
Somnia vana foues. Ego ſedulus otia vito.

IOSEPH.

Non ego (quod reris) ſequor otia: ſed mihi præſens
Hæret adhuc vigili ſemperque recurſat imago
Quæ fuit in ſomnis immiſſa. Quis obtulit illam,
An ſopor, an certè Superi? dum ſingula narro,
Vos animis (res eſt non parua) reponite veſtris.
Penè ſub Auroram dubiæque crepuſcula noctis,
Cùm minùs aſtringunt leuiores lumina ſomni;
Nos ego biſſenos vidi per ſomnia fratres
Triticeæ curuam ſegeti ſupponere falcem.
Omnibus abiecta tunica: par omnibus ardor
(Tamquam ſuſceptum nobis mercede diurnâ
Eſſet opus) ferro denſos proſternere culmos.
Campus erat, plenoque ſeges latiſſima campo.
Vt meminiſſe iuuat? quis erat mihi ludus, aceruos
Stringere demeſſi per lata noualia farris?
Sed noua ſubiecit res prodigioſa ſtuporem.
Namque meus reliquos inter conſurgere merges
Viſus, & huic cultum veſtri deferre manipli
Humano velut ingenio. Sic corpore proni
Numen adoramus ſacram reuerenter ad aram.

Indole regali merges meus ire ſub auras
Gaudebat, cæloque caput ſublime ferebat,
Cùm mea deficiens abrupit gaudia ſomnus,
Heu fugitiua nimis, volucrique ſimillima fumo.
Tu, Deus, hæc auſpex inſomnia porrò ſecunda.

DAN.

Anne erit, in fratres, puer ignauiſſime, regnum
Vt teneas? ſceptróne pedum mutabis eburno?
Hoccine fallacis ſpondent mendacia ſomni?
His adhibes, maleſane, fidem? Quid viſa iuuabunt,
Aurea ſiquando miſer inter ſomnia fias?
En quò te pepulit patris indulgentia! fecit
Hos animos toga verſicolor, croceique cothurni.
Hinc tibi regnandi venit, peruerſe, cupido.

IOSEPH.

Quiſquis ero, fortuna tibi mea ſeruiet omnis.
Nunc, olim, quodcumque dabunt hæc ſomnia fauſti,
Id fieri commune mihi cum fratribus opto.

DAN.

Iſta tuæ potiùs nutrici ſomnia narra,
Veſpere fabellis captet ſi fortè ſoporem.

PAX

PAX IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Apud Byblum peractâ vindemiâ, Virgines Hebrææ ducunt choros de more, & cantu celebrant PACEM quâ fruebantur temporibus IOSIÆ Regis; in cuius etiam laudes excurrunt.

QVà Bybli vineta iugis lætiſſima ſurgunt,
Hebraides olim choreã duxere puellæ,
Puniceis omnes euinctæ crura cothurnis:
E quibus agreſtes inflare perita cicutas
Debbora grandæui neptis ſic cœpit Oniæ.
Linquite iam, Sociæ, calathos, quibus antè tuliſtis
Calcandam prælis muſto ſpumantibus vuam.
Linquite iam calathos. Acta eſt vindemia vobis.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Sic pater Iãpeti, iucundæ conſitor vuæ,
Inſtituit feſtis thyaſos veſtire corymbis,
Pampineiſque leues inducere frondibus haſtas.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Ipſe ſenex agili docuit ſola tundere plantâ;
Repperit ipſe choros, ſalijt quoque primus in illis,
Numine placato donis, & Pace redemptâ.

Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Nempe chori ſunt Pacis opus. Celebremus honores
Pacis: ego Paci præcentrix ordiar hymnum:
Nec reor alternis vos reſpondere pigebit.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
O bona Pax! opifex roſea formoſa corona,
Palmitis inuentrix, oleæ mitiſſima cuſtos;
Nomine ſiue voles alio quocumque vocari.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Ad Nomadas Bellum procul hinc eat. Aurea nobis
Pax ades. Armorum non ſit laus vlla, nec vſus;
Aut ſi quis fuerit, ſolos ſeruetur in apros.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
In galeis poſthac diſtendat aranea telam,
Et caua ſcuta virûm pueris cunabula fiant,
Inque laboriferos abeat lorica ligones.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Rus colito, Nabothe, tuum. pone ordine vites;
Inde ſuo carpes ſperatos tempore fructus:
Nec tua vaſtabit peregrinus prædia miles.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Agricolis pleno rediijt iam Copia cornu;
Ampla nec immenſas capiunt ſatis horrea meſſes:
Vberibuſque boues grauidis mulctralia vincunt.

Sumite

Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos,
Scilicet hæc nobis IOSIAS *otia fecit*
Purpureas primâ ſignans lanugine malas,
A tenero Superis puer acceptiſſimus vngui.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Sextus ab vndecimo vix illum ceperat annus
Cùm Solymâ ritus proſcripſit ab Æde profanos,
Et patrijs veteres aris reuocauit honores.
Sumite palmitibus redimitos ſumite thyrſos.
Ergo priùs ſalſæ dulceſcent æquoris vndæ,
Byblina vel blandum mutabunt vina ſaporem,
Quàm noſtro illius labatur pectore nomen.
Ponite (nox cælo venit humida) ponite thyrſos.



THIRANTHROPIA IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Videns DANIEL Propheta iuxta ripam Euphratis NABVCHODONOSOREM Chaldæorum Regem inter boues paſcentem communes cum ijs herbas; hoc Paſtorali carmine eius deflet infortunium, ſpondetque deinceps,expletis ſeptem ærumnarum annis,omnia meliora.

Ex cap.4. Danielis.

RVra meis ſemper placeant ante omnia Muſis;
Semper amem ſiluas: & amarunt hæc quoque Reges,
Regius & ſanguis Daniel. ô qui modò lucis
Inſerat Aſſyrijs! ô qui me ſiſtat ad amnem
Præcipiti Chaldæa ſecat qui paſcua curſu!
Fuſus vbi in molli Daniel ad flumina muſco,
Armentum cùm fortè inter regale videret
Armenti dominum paſci communibus herbis;
Hos dedit ex imo ſuſpirans pectore queſtus:
In bouis indignam viſum tranſiſſe figuram
Luxerunt dominum Babylonides inde puellæ,

Hinc

Hinc iuuenum chorus. Ecquis enim non fleuit acerba
Fata viceſque tuas, infeliciſſime rerum?
Te veteres etiam palmæ, torrentibus vndis
Quas rigat Euphrates, etiam fleuêre myricæ;
Nubiferi vertex etiam te fleuit Jmai,
Te rigidæ Tauri ſilices, te Caſpia clauſtra,
Cùm falſis primùm impleres mugitibus agros,
Infelix! cùm ceruici iuga dura timeres.
Quis te mutauit tantus Deus? vlláne ludos
Fortunæ ſimiles patrum vetus audijt ætas?
Hoc tamen antè malum memini prædicere miſſa
Somnia de cælo, niſi mens tibi cæca fuiſſet.
Hinc adeò generis magnorum oblitus auorum,
More feræ, ſolis quadrupes in montibus erras,
Et gemina in læui fingis tibi cornua fronte.
Heu miſerande Nini pronepos! non murice veſtis
Tincta, Semiramiâ nec acu variata, cubile
Iam tibi conſternit: ſed ſub Ioue degis aperto,
Membra ſuper nudis ſed proijcis hiſpida ſaxis,
Quo te cumque loco nox interceperit atra.
Ah veſpertinus ne te lupus, ah leo ne te
Excipiat (ſtabulatur enim leo plurimus iſtis
Saltibus) ah! moneo procul ah fuge luſtra ferarum!
Quin ades huc potiùs. carpes hîc plena ſecundùm

Flumina

Flumina Luciferi primo cum ſidere gramen,
Colludit viridi dum ros argenteus herba.
Mox vbi quarta ſitim collegerit hora diei,
Ad gelidos ego te latices, ad pocula ducam:
Inde ſub ilicibus nigris, in valle reductâ,
Floribus effultus frigus captabis opacum.
Ipſe tibi intereà meditabor arundine carmen,
Si quà fortè tuum valeam mulcere furorem.
Ah Daniel, Daniel, ſurdo canis! in nemus ille
Emicat, abrumpens medio tua verba boatu.
Méne fugis? per ego & ſalebras, & confraga ſilua
Te ſequar, & caro capiti comes vſque manebo.
Stat mihi velle pati tecum. non antè ſoporem
His oculis tribuam, priùs aut ieiunia ſoluam;
Quàm Deus, humanis ſolitus miteſcere pœnis,
Pro pietate meâ poſthac tibi fiat amicus.
Audior? an qui amant fingunt ſibi proſpera? certè
Audior. en dextram Deus en mihi perſonat aurem;
En monet, in melius mutatâ ſorte locandum
Te veteri rurſus ſolio: ſeptennia poſtquam
Integra tranſierint, poſtquam pernôris, in ipſos
Eſſe Deum qui ius exerceat acre Tyrannos.
Signa quid obſeruas Chaldææ? quid aſpicis ortus
Aſtrorum? nihil iſta dabunt, qua conſulis, aſtra

Scire futurorum, ſibi qua Deus abdita ſeruat.
Et mihi fatorum, cùm vult, tabularia pandit.
Hinc, pueri, vobis oracula fauſta reporto.
Ergo alacres ſiluas pridem deſueta voluptas
Iam teneat, ſilua domino gaudete recepto.
Mens illi redit, & maieſtas priſtina vultus.
De boue nil ſupereſt. ſed adhuc tamen edere prima
Verba timet, ne mugitus pro voce ſequatur.
Plura locuturum properauit cingere Vatem
Ilicis agreſti paſtorum turba coronâ,
Et rigidam iuſſit violis molleſcere quercum.

VVL-

VVLPES IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Cant. Cãt. cap. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.*

Duo vindemiatores, Naboth & Zebul, in ſuburbano Ieſrahelis agro, de capiendis & extinguendis vulpibus quæ vineam demoliebantur, ineunt conſilium. Per Vineam, ECCLESIA CHRISTI; per Vulpem HÆRESIS repræſentatur.

ZEBVL.

TV ſimili mentitus aues, Nabothe, ſuſurro,
Credula ſuſpendis viſcatis agmina ramis:
Sector ego canibus viſa veſtigia vulpis.

NABOTH.

Zebole, ter denas hoc cepi manè volucres,
Quæ rapuere meis mites è vitibus vuas.
Aucupium tabulâ nunc digero: primus opimis
Enitet alitibus, ſtat macris vltimus ordo,
Vt minùs offendat macies ſubiuncta ſaginæ.
Iſta ſeni referam ſub cœnam munera noſtro.

ZEBVL.

Damna tuis tulerit ficedula fortè racemis;
Sed longè grauiora meæ vulpecula viti.

Frigora

Frigora non tantum matutinæque pruinæ
Palmitibus, quantum dentis nocet illa veneno.
Heic vbi prouenit talis mihi ſæpiùs vua,
Qualis ad Hebronis natale gigantibus aruum
Exploratori fuit olim viſa Calebo,
Nunc lego corroſo turpem de palmite botrum.

NABOTH.

Et mihi non vnâ nocuit vulpecula fraude:
Nil prohibent ſepes, pictis quin irruat vuis.
Quàm benè præda tibi cadet! at quibus opprimis illam
Artibus, heic inter filices mihi, Zebole, narra.
Intereà maculis ego texam retia raris,
Quæ veſpertinam fluitent nebuloſa ſub horam,
Turdorum celeres interceptura volatus.

ZEBVL.

Cui non calliditas eſt cognita vulpis? hirundo
Non fugit inſtantem vigilantiùs aduena brumam,
Quàm verſuta ſibi ſtructos vulpecula caſſes.
Si quando tamen in laqueos incautior illa
Incidit, & duplici ſentit ſe fune teneri,
Tunc meminit captiua ſui; pedicaſque refringens
Dentibus, implicitos abſoluit nexibus artus.
Vnde dolis hanc credo feram vix poſſe prehendi.

NA-

NABOTH.

At, vulpinandum vulpes aduerſus, & arte
Audieram variâ fallendam ſæpiùs artem.

ZEBVL.

Audieras; vulgoq́ue ferunt: & me quoque Naſſon,
Naſſon Idumæi conterminus accola ſaltus,
Vngere lina fimo docuit; ne funis odorem
Callida percipiat pecus, & declinet ab ipſis
Decipulis. Ego non aliter Samſona putarim
Rure Palæſtino vulpes cepiſſe trecentas.
Has alius perna tractas nidore ſuilla
Poſt dumeta latens inopino conficit arcu.
Eſt qui præcipites ſcrobibus det ceſpite tectis.
Mille alias vſus venandi repperit artes.
Sed mihi non æquè placet ars, vt odora canum vis
Per iuga dum verſat trepidam Gabaonia vulpem.

NABOTH.

Non huic vlla, reor, venatio Zebole præſtat:
Sed multâ catuli curâ ſunt antè docendi
Veſtigare feram, fortiq́ue laceſſere morſu.

ZEBVL.

Eſt quoddam canis acre genus; vt corpore paruum,

Sic

Sic animis ingens & robore: ſubniger illi
Eſt color, os ſimum, pendens prolixiùs auris;
Hirſutis duo ſub cilijs caua lumina, dentes
Conferti rabidiq́ue, breuis pes, longior vnguis:
Indole tam docili, per agros vt ſponte feratur
Deprendat profugæ ſi quà veſtigia vulpis.
Mille per anfractus dextrâ læuâque vagatur,
It, redit, explorat prono loca ſingula naſo;
Inq́ue caui penetrat perfoſſa cubilia montis,
Feta quibus ſeſe latebris amat abdere vulpes.
Heic ſimul ac illi notas odor attulit auras,
Lætitiâ fremit; & ſaltu ſe librat in hoſtem,
Par iaculo, cæcaſq́ue domos latratibus implet.
Turba canum reſpondet: abit baubatus ad
aſtra.
Non ita me blandis mulcet philomela querelis,
Vt iuuat hic, Nabothe, canum gannitus; acutos
Ipſa ſonos reddit nemorum vocalis imago,
Siluaq́ue venantum reboat clamoribus omnis,
I Theron, i Carilax, i Celanor; euge Me-
lampe,
Noſtra fera eſt, iam noſtra fera eſt. Iam capta
tenetur.
Omnis io captâ gaude vicinia prædâ.
Tu venatori, de more, colona repone
Oua. Tua perijt peſtis vulpecula cortis.

NABOTH.

Quæ ego pro tali reddam tibi carmine grates,

Aut quæ dona feram? geminos, en ſume, caniſtros
Zebole, collectam condas vbi molliter vuam.

EPILOGVS.

Vulpis adumbratam ſub imagine luſimus iſtâ
Hæreſin, extremum bello dum Cæſar ad Albim
Fulminat, hanc certus terris exſcindere peſtem.
Forſitan aſſurgent olim grauiore cothurno,
Et mea Cæſareas æquabunt carmina lauros.

NILVS

NILVS IDYLLION.

ARGVMENTVM.

THERMVTIS, filia Pharaonis, ad Nili crepidinem ludibunda cùm puellis ſuis deambulans, innantem flumini fiſcellam iunceam ripæ admotam excipit, aperit; in eâ expoſitum (crudeli Regis edicto) puellum Hebræum reperit, miſerata tolli iubet, MOYSEM vocat.

SAt virides luſi tecum, mea fiſtula, ſiluas:
Flumina nunc cantare libet. præconia Nilo
Carmine ſunt facienda. Neget quis carmina Nilo,
Qui calamos Muſis, qui donat habere papyrum?
Laudabunt alij, ſua quòd cunabula cœlo
Debeat ignotis veniens hic fontibus amnis;
Quòd Meroen Blemyaſque riget, Libycoſque nouales
Findat, & Ægyptum nigrâ fecundet arenâ:
Plus ego me Nilo fateor debere, quòd olim
Extulerit placido ſeruatum gurgite Moſem.
Inclyta ſeruato dicamus flumina Moſe.
Tertia iam ſolidæ fuerat pars acta diei,
Et Sol maiores decliuis fecerat vmbras;

Cùm thalamo digreſſa ſuo Thermutis ad oram
Se fluuij lotura tulit. Latus ilicet illi
Bis ſeptem cinxere pares ætate puellæ:
Quales è paſtu niuei referuntur olores
Ad vitreas Iordanis aquas,& longa canoros
Dant per colla modos. Latè ſacer aſſonat amnis.
Pompa puellarum Thermutim talis obibat.
Ipſa chori princeps ſpatiata crepidine ripæ
Præterlabentis nullo propè murmure Nili
Deſpectat pigro dubios in flumine curſus.
Dumque videt pictos vltrò citroque phaſelos
Occurſare ſibi,quiſnam fluat amne ſecundo
Ambigit, aduerſis aut quiſnam nauiget vndis.
Lumina ſic fallit tacitarum lapſus aquarum,
Credat legitimos vt ſegniùs ire meatus.
Huc illuc oculos Nymphæ per cuncta ferenti,
Fluminis in medio fiſcella apparuit alueo,
Mobilibus ſcirpis & læui texta papyro:
Hanc iubet ad ripam miſſos aduertere nautas.
Iuſſa citi faciunt. Studio Regina videndi
Ocyùs oblatam reſupinis excipit vlnis:
Néve manus niueas inducta bitumine fœdet
Arca, cauent famulæ ſubſtratis molliter herbis;
Sic oneri timidæ ſubeunt: audacior vna
Vincla picata ſecat digitis, ciſtamque recludit.
Ecce latens ſeſe vagitu prodidit infans,
Aureolo talos à vertice pulcher ad imos.

Qualis

Qualis Amor pingi tabulâ ſolet. Utraque mala
Suauè rubet, guttis aſperſa recenter ab amne.
Stare cacuminibus florum ſic manè pruinas
Aſpicimus, tereteſque roſis colludere gemmas.
Detergit pueri Thermutis ab ore madorem.
Quod potuit, dulci mouet ille labellula riſu,
(Officium ſenſiſſe putes) & tendit eburnos
Simplex blanditijs in regia colla lacertos,
Vtque ſuum nictans inuitat ad oſcula matrem.
Mota (volente Deo) Nympha eſt, mentemque benignam
Accipit in puerum, lacrymiſque ita fatur obortis:
Heu puer infelix, ipſo moriturus in ortu!
Viuere dignus eras, niſi lex tibi dura noceret.
Sed mihi cur nimiùm lex in te dura videtur?
Eſt quoque dura nimis. Pereas, viuáſne, quid ad me?
Viue tamen. Sancti cui fluminis vnda pepercit,
Cur ego non parcam? Quid? ſiccine iuſſa parentis
Deſpicies, Thermuti, reus ſeruetur vt infans?
Vnde ſed iſte reus? ſcelus hac ætatula neſcit.
Somnia porrò patrem terrent; at ſomnia nullum
Pondus habent. Potior mihi ſit ſententia Nili,
Qui puerum noxâ miſerans abſoluit ab omni,
Et ſibi depoſitum noſtras porrexit in vlnas.
Num dabo præcipitem rurſus fluuialibus vndis,

Obijciámve feris crocodili dentibus eſcam?
Dî meliora! Dea ſed dicitur Iſidis vnus
Neſcio quis myſtes prædicerè, magna Canopi
Rebus ab Hebræo portendi damna puello.
Scilicet in nigrum puer hic quandoque cruorem
Carminibus vertet ſeptemplicis oſtia Nili?
Et dabit immundo ranas pro piſcibus amni?
Háſne timet totâ Rex cum Mareotide cunas?
Quin (quod ego potius reor) hæc infantis in ore
Indolis eximiæ ſpecies, hæc gratia vultus,
Sæcla Paratonijs promittunt aurea regnis.
Et certè fortuna mihi non obtulit illum;
Conſilio res geſta Dei eſt. Stat tollere nobis.
Audijt vt Marie (nam poſt carecta latebat)
Méne iubes, inquit, nutricem ſiſtere? Siſte
Ocyùs, accelera, Regina ſubintulit: ambas
Præmia digna manent. At tu, formoſule, poſthac
Noſter eris; & aquis ſubducte vocabere Moſes.

TO-

TOBIAS IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Angelus Raphael ad ripam Tigris fluuij puerum Tobiam timore conſternatum,& ſibi à carniuoro piſce malè metuentem hortatur vt piſcem exenteret, fel & iecur ad medicamenta ſeponat.

CVlter vbi? cultro piſcem fode. Cetera mergis
Exta dato: tantùm iecur & fel conde caniſtro.
Namque valent medicos ea, plus quàm credis, ad vſus.
Fortunate nimis quot te puer inde manebunt
Commoda? ſed quâ ſint ratione paranda,docebo.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Sara tibi dabitur. Debent hæc pharmaca Saram.
Hanc pridem petiere proci ſibi iungere ſeptem,
At ſeptem periere proci; quos improbus omnes
Suſtulit Aſmodes,fatoque extinxit acerbo.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Iuris in hos aliquid dæmon ſibi ſumpſerat hircos,
Ambierant turpi caſtam qui mente puellam:
Tu patribus puer orte bonis, tu ſanguis Abrami,

Conſilijs Sara thalamos melioribus opta.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Dum tibi legitimo tradetur fœdere coniux,
Nocte Deum primâ ſupplex in vota vocato:
Carboneſque adole viuos, & ſulphura pura.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Ter prunis ſuperimpones à piſce reuulſum
Donec eat iecur in cineres. His dæmona ſacris
Aggredere: ille licet Superos & carmina temnat,
Terga tamen ſolo vertet nidore fugatus.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Collige ſopito ſi quid ſuperabit ab igne;
Elatoſque foras cineres da pellere ventis,
Pellere da ventis: & dic, Aſmodea pello.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Néve parum poſſint hæc pharmaca, tunc ego carmen
Auxiliare canam; quod dæmona, compedis inſtar,
Alliget, & vinctum ſitienti damnet arenâ,
Quà vetus eſt altis Thebe tumulata ruinis.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Quanta vides ex hoc miracula piſce ſequantur,
Vnde tibi, puer, exitium mortemque timebas:
His potiora dabo, quando Deus annuit auſpex.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Hoc ſi felle litos oculorum terſeris orbes,
Reſtitues pulſâ cæcis albugine lucem.

Inde

Inde tuo facies collyria certa parenti.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Ex oculis ſi ſponte fluet membrana ; bonum ſit:
Hanc lege. Mox viuo pupillâ flumine lotâ
Aſpiciet rurſus genitor ſpirabile lumen
Ætheris, & vitulo faciet pro luce receptâ.
I Tobia, medicas i me ductore per artes.
Gratatum veniet ſenior Nabathæus vtrique;
Præque rei nouitate ſtupens, Puer optime, dicet
Quis medicâ tam ſolertem te fecit in arte?



DAVID GIGANTICIDA IDYLLION.

Flauius Ioſephus hoc Epinicium alternis cantatum fuiſſe tradit; vt nuptæ mulieres pracinerent, ſuccinerent virgines.

ARGVMENTVM.

Cæſo Goliath, obuiàm prodeuntes Savli, & Davidi victori hinc nuptæ mulieres, inde virgines Hebrææ, canunt Epinicium.

VIRGINES.

Pompa venit: pompa matrum chorus obuius exit.
Tympana iam manibus, iam ſiſtra loquacia ſumunt;
Iam canere incipiunt,& reſpondere iubemur.
Alternis quoniam vult hæc Victoria dici.

NVPTÆ.

Hunc purum ſine nube diem, Sol alme, reducis
Iſacidis, ſudiq́ue renident cærula cæli.
Scilicet arridet nitor ætheris ille Saüli,
Dum remeat patrias palmis inſignis ad arces.
Nos decet inſignem palmis celebrare Saülem:
Mille Saül,patriæ Seruator, ſuſtulit hoſtes.

VIRGINES.

Hoc meliùs viret herba die, pratumq́ue puellis

Sufficit

Sufficit vberiùs violas in ſerta, crocumque,
Parthenicemque: legi florum cupit obuia meſſis:
Nempe ſuo properant Dauidi rura coronam;
Huic quoque Victori nos carmina læta ca-
namus.
Mille Saül, decies ſed Dauid mille peremit.

NVPTÆ.

Teſtis Aſecanâ terebinthus conſita valle
Quantus in arma Saül rueret, quo turbine tela
Nuper in Allophylos curru torqueret ab alto;
Puniceis galeam criſtis indutus, & auro
Loricam, auratis & fulgida cingula bullis.
Mille Saül, patriæ Seruator, ſuſtulit hoſtes.

VIRGINES.

Teſtis Aſecanis Torrens qui vallibus errat,
Flauus vt hinc Dauid collectos quinque lapillos
Miſerit in peram. Moturus bella giganti,
Eſſe ſatis fundam ſibi duxit. Ab æthere tanta
Nimirum puero fiducia venit inermi.
Mille Saül, decies ſed Dauid mille peremit.

NVPTÆ.

Quot peditum cuneos, equitum quot miſerat
alas
Gaza potens? in nos Chananitis denique tota
Contulerat iunctas iniuſto fœdere vires.
Has tamen, vt meſſor flauentes ſternit ariſtas,
Diruit

Diruit enſe Saül; ſparſitque volucribus eſcam.
Mille Saül, patriæ Seruator, ſuſtulit hoſtes.

VIRGINES.

Quid, quòd ab Enachiâ Titanum ſtirpe profectus
Par Libano Golias monti, Dux agmen agebat,
Ipſe Palæſtinis vnus magni agminis inſtar?
Hunc, velut aëriam reſupinat turbo cupreſſum,
Exanimem mediâ David porrexit arenâ.
Mille Saül, decies ſed David mille peremit.

NVPTÆ.

Arboribus geſtanda Saül ſuffixit opima
Deuictis ſpolia Allophylis. Sublimia ramos
Æſculeos curuant ingenti mole trophæa:
Tota Palæſtinis Ephronia ſilua ſuperbit
Exuuijs, Macedæque nemus Victoria veſtit.
Mille Saül, patriæ Seruator, ſuſtulit hoſtes.

VIRGINES.

Poſtibus arma ſacris David ſuſpendit, & enſem
Votiuum Goliæ veteres Silonis ad Aras.
Nos ibi grata Deo biſquinis carmina chordis,
Voce vel argutâ, quouis cantabimus anno,
Vſque tui memores, David formoſe, triumphi.
Mille Saül, decies ſed David mille peremit.

FA-

FAMIANO STRADÆ SOC. IESV SACERDOTI

SVLAMITIS IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Ecclesia, nomine Svlamitidis ruſticanæ puellæ deſignata, Christvm Dei filivm aſſumptâ iam carne fratrem ſuum compellat.

Ex cap. 8. Cant. Cant.

Iſte labos Hebraa manet te Muſa ſupremus.
Pauca velim properes Famiano carmina Strada,
Dum tibi tantiſper ſe commodat. En age dulci
Dic calamo, fratrem Sulamitis vt arſerit olim;
Vt nemus his errans impleuerit omne querelis.
Qui procul aſpectu montes, qua paſcua, noſtro,
Te germane tenent? quâ te regione requiram?
En cæli medio nunc Sol altiſſimus arua
Puluerulenta coquit, tua dum veſtigia luſtro.
En captant nunc frigus oues, ouiumque magiſtri
Turba moleſta rogant: Quò te Sulamiti per aſtum,
Quò Sulamiti pedes? quis te malus abripit error?

Turba

Turba moleſta ſile. Fateor, mihi frater amatur.
Et cur diſſimulem? non eſt amor iſte pudori;
Ecquis enim culpet fratri quòd in oſcula curram?
Luce palàm te, frater, amem; coramque ſeuerâ
Matre ſit amplexu mihi fas te ſtringere caſto.
Huc ades, in thalamum volo te deducere Matris.
Ipſi te poſtes, ipſum te limen, & ambæ
Sponte ſuâ moto ſuſpirant cardine valuæ.
Tota tuo domus aduentu ridebit, & vltrò
Candida cum violis redeunti lilia fundet;
Mixtaque ſubſternet molli colocaſia iunco.
Ipſa ego cana feràm tenui lanugine, nuper
Sepibus in noſtris quæ poma Cydonia legi:
Prætereà tibi bina dabo diuerſa ſapore
Pocula; nectareis arbos hoc Punica granis
Condijt, Engaddi vindemia miſcuit illud.
Nullus adhuc admouit ijs labra: ſed tibi ſeruo.
Tu dilecte, rudem rerum me multa docebis,
Frater; vt hæc diſcam, quid non faciámve, ferámve?
Cura tibi tantùm ſim mutua: pectore tantùm
Vſque tuo manedt defixa ſororis imago,
Annulus vt digito (noſtri tibi pignus) inhæret,
Vtve tuis apprima tenax armilla lacertis.
» *Res Amor eſt æterna: dies nec longa, nec illum*
Vincere mors poterit: quamuis mors omnia vincat.

Sed

Sed nec aquis aboletur Amor. turbata procellis,
Cæcâ nocte natat tutus freta: quem ſuper hoſtis
Ipſe tonat polus, & nimbis ſtridentibus vrget.
Non tamen id merſare caput queat omnibus vndis
Oceanus, non Oceano violentior æther
In medium fœdis deſcendens imbribus æquor.
Excubet in Scythicis puer hic ſi fortè pruinis;
Abſumet rabido Scythicas ardore pruinas;
Intactaſque niues Soli, potiore reſoluet
Igne; mihi ſenſim fibras qui gliſcit ad imas.
Sancte puer! totâ me lampade fortiùs vre.
Fratre calere iuuat. Quid enim formoſius illo?
Dulce tepor vernus violis, flauentibus æſtas
Meſſibus, autumnus botris, mihi Fratris amores.
Mille (nec inuideo) Thamar è præſepibus agnos
Ducat & innumeras in paſcua manè capellas:
Lac æſtate recens, & frigore ſuppetat illi:
Vt volet, Aſſyrio tingat ſua vellera fuco;
Cogat opes, nullumque modum ſibi ponat habendi.
Semper ego te frater amem. Nil cetera curo.
Hæc properaſſe meo munuſcula ruſtica Strada
Muſa, ſat eſt. Ea Strada precor non improbet: illi
Sic ferat æternam Farneſias edita famam.

FLO-

Turba moleſta ſile. Fateor, mihi frater amatur.
Et cur diſſimulem? non eſt amor iſte pudori;
Ecquis enim culpet fratri quòd in oſcula curram?
Luce palàm te, frater, amem; coramque ſeuerâ
Matre ſit amplexu mihi fas te ſtringere caſto.
Huc ades, in thalamum volo te deducere Matris.
Ipſi te poſtes, ipſum te limen, & ambæ
Sponte ſuâ moto ſuſpirant cardine valuæ.
Tota tuo domus aduentu ridebit, & vltrò
Candida cum violis redeunti lilia fundet;
Mixtaque ſubſternet molli colocaſia iunco.
Ipſa ego cana feram tenui lanugine, nuper
Sepibus in noſtris quæ poma Cydonia legi:
Præterea tibi bina dabo diuerſa ſapore
Pocula; nectareis arbos hoc Punica granis
Condijt, Engaddi vindemia miſcuit illud.
Nullus adhuc admouit ijs labra: ſed tibi ſeruo.
Tu dilecte, rudem rerum me multa docebis,
Frater; vt hæc diſcam, quid non faciámve, ferámve?
Cura tibi tantùm ſim mutua: pectore tantùm
Vſque tuo manedt defixa ſororis imago,
Annulus vt digito (noſtri tibi pignus) inhæret,
Vtve tuis apprima tenax armilla lacertis.
» *Res Amor eſt æterna: dies nec longa, nec illum*
Vincere mors poterit: quamuis mors omnia vincat.

Sed

Sed nec aquis aboletur Amor. turbata procellis,
Cæcâ nocte natat tutus freta: quem ſuper hoſtis
Ipſe tonat polus, & nimbis ſtridentibus vrget.
Non tamen id merſare caput queat omnibus vndis
Oceanus, non Oceano violentior æther
In medium fœdis deſcendens imbribus æquor.
Excubet in Scythicis puer hic ſi fortè pruinis;
Abſumet rabido Scythicas ardore pruinas;
Intactaſque niues Soli, potiore reſoluet
Igne; mihi ſenſim fibras qui gliſcit ad imas.
Sancte puer! totâ me lampade fortiùs vre.
Fratre calere iuuat. Quid enim formoſius illo?
Dulce tepor vernus violis, flauentibus æſtas
Meſſibus, autumnus botris, mihi Fratris amores.
Mille (nec inuideo) Thamar è præſepibus agnos
Ducat & innumeras in paſcua manè capellas:
Lac æſtate recens, & frigore ſuppetat illi:
Vt volet, Aſſyrio tingat ſua vellera fuco;
Cogat opes, nullumque modum ſibi ponat habendi.
Semper ego te frater amem. Nil cetera curo.
Hæc properaſſe meo munuſcula ruſtica Strada
Muſa, ſat eſt. Ea Strada precor non improbet: illi
Sic ferat æternam Farneſias edita famam.

FLO-

FLORENTIO DE MONTMORENCY SOC. IESV SACERDOTI FRATRI MEO GERMANO EX VISITATIONE BOHEMIÆ ET AVSTRIÆ PROVINCIARVM EIVSDEM SOCIETATIS IN BELGIVM REDVCI INEVNTIS ANNI M. DC. XXXIII. FELICIBVS AVSPICIIS HOC IDYLLIO GRATVLABAR.

INcolumem qui te, Germane, reduxit ab Arcto
IESVS *noſter amor; feſtis ferret iſta Kalendis*
Nomine dona meo. Tu quo decet accipe vultu.

Similis eſt argumenti Ἔρως δραπέτης apud Moſchum.

IESVS AMISSVS IDYLLION.

AMiſſum Genitrix-virgo dũ quærit IESVM
Mœſta, Siönæas ſic eſt affata puellas:
Ite, vias Urbis mihi veſtigate per omnes,
Erronemq́ue ſuæ, populares, ſiſtite Matri.
Parta repertrici ſunt munera binus apud me
Turtur, & eximio totidem candore columbi.
Fas erit his porrò puerum deprendere ſignis:
Ore

Ore notas præfert quales mihi conſpicis eſſe.
Aureus in niueâ ludit ceruice capillus
Vt facilè intonſo Naſarenum vertice noris:
Lumina ſideribus certant, minioque labellum.
Veſtis eburneolos amethyſtina contegit artus,
Non tenui telas inter ſpectabilis auro,
Non imam Phrygijs oram circumdata limbis;
Odit enim Phrygios ſimplex puer iſte paratus:
Hanc ego plebeio textam de vellere, tali
Arte laborani Nati creſcentibus annis,
Creſcat vt illa ſimul, nec damnum ſentiat æui.
Luteolis alij ſuras includere ſoccis,
Ingenuoque ſolent bullam ſuſpendere collo:
Nil meus à teneris illorum geſtat IESVS;
Sed cultu, pueros inter bis mille, modeſto
Enitet, & miti plus ſe commendat ab ore.
Obuius in triuijs hic cùm tibi venerit erro,
Te volo, te, dices; mecum fugitiue reuerte.
Brachiolum ſi fortè teres tibi tendet, ineptus
Ne pudor impediat candentibus oſcula libes
Quominùs articulis: nil corpore ſanctius iſto,
Non alium ſpirat quàm Virginitatis amorem:
Ne dubita conferre manum. Sitiátne, rogato;
(Nā tribus his errat iam ſolibus) offer & hauſtū
Dulcis aquæ, puerum lymphæ deuinxeris hauſtu.
O quas ille tibi grates aget! aurea verba
Puberis admirans, cæleſte fatebere nectar:
His vereor ne te capiat, quem ducere captum
Debueras, & ſollicitæ redhibere parenti.

ISAIÆ

CAP. XLII.

CAntate Domino canticum nouum.

Laus eius ab extremis terræ: qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius; inſulæ, & habitatores earum.

Suble-

CEDAR IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Hoc Idyllio Isaias Propheta, miram apud Barbaros morum conuerſionem, poſtquam Euangelij luce perfuſi fuerint, ſub * Cedareni paſtoris iam cicuris facti tropo luculenter adumbrat.

* Vetus apud Hebræos Prouerbium erat, quo per Cedarenum ſignificabāt quemuis Barbarum. Alludit ad illud toto paſſim hoc Poëmate profundus noſter Propheta.

INtermitte graues tantiſper, Muſa, cothurnos;
Non omnes gaudent grauibus, mihi crede, cothurnis.
Quin leniore ſono potiùs vulgaris auenæ
Cedaris intonſas liceat mihi dicere ſiluas.
Si canimus ſiluas, ſiluæ ſunt Numine plenæ
Quas canimus. Deus omne nemus mihi Cedaris implet.
Dic age deductos illi mea tibia verſus;
Nam tenui calamo non iniucundiùs audit,
Quàm grandi commiſſa tubæ ſua facta referri,
Seque Dei noſtro Maieſtas temperat ori.
Fontis in anguſto veluti cratere videmus
Tres cæli ſpatium pandi non ampliùs vlnas:
Forſan & hæc latè totum quandoque per Orbem
Qualiacumque mea ſpargentur ſibila cannæ.
Audiet & ſi qua procul his eſt inſula terris,
Quæ facimus Superis bifori præconia buxo.
Ecquis iö ſiluæ vos cultus amœnior ornat

Subleuetur deſertum, & ciuitates eius:

in domibus habitabit Cedar.

Laudate

Cedarides? ſolito vultus cur lætior hic eſt?
Nempe Dei veſtros hilarat præſentia ſaltus,
Ingeniumque loci cicurat ſilueſtris. heriles
Qua fert cumq; gradus, caſiam calcata crocumq;
Fudit humus. Legere eſt ipſis [a] *ex thura myricis.*
Ipſæ iam filices nardi mutantur ariſtâ,
Carduus Aſſyrio calamo, ſerpylla roſetis.
Denique tophus vbi fuerat ſcaber hactenus; illuc
Iam migraſſe putes Nabathæi germina ruris.
Quiſquis ad hos poſthac incerta mapalia ſaltus
Paſtor ages; tecum miraberis ipſe frequenter
Cedaris antè feros tractus, deſertaque vaſta
Numinis aduentu veterem poſuiſſe rigorem,
Et didiciſſe nouo paſſim miteſcere cultu.
Pinguior vt non ſit bifera iam gleba Segoræ
Non [b] *Achoritanæ molliſſima paſcua valles.*
Hîc ſtabiles tibi fige lares; hîc oppida conde
Si ſapis vpilio (nec enim tentoria tanti
Sunt tua) diſperſos huc vndique coge ſodales,
Et noua conſcriptis pomœria ciuibus imple.
Creſcere poſt aliquot tua regna videbis ariſtas.
Ergo domos vagus ille [c] *Nomas colet? & colet vrbes?*
Ergo ferox, [d] *pridem conſuetaque viuere rapto*
Cedaris [e] *atra volet pubes iam ciuis haberi,*
Et ſinet ignauos famulari legibus arcus?

a Video huiuſmodi verborum tranſpoſitionem Lucretio & Virgilio placuiſſe.

b Vallis Achor eadem quæ Engaddi.

c Diuerſi ab Afris hi Nomades Arabes.

d Cedarenorum ferociã notat Rex Dauid Pſal. 119. *Habitaui cum habitantibus Cedar, cum his qui oderũt pacem.*

e Vox *Cedar*, Hebraicè nigrorẽ ſignificat: quæ ſignificatio ad mores transfertur. Vulgò notum eſt, hominem nigrum, hominem infidum dici; contrà hominem candidum, vocari eum qui verax & ingenuus eſt. Adeò omnium ætatum & gentium conſenſu, ſumma ſemper fuit coloris nigri infamia; vt contrà, candoris ſummus fauor.

Subleuetur deſertum, & ciuitates eius:

in domibus habitabit Cedar.

Laudate

Cedarides? ſolito vultus cur lætior hic eſt?
Nempe Dei veſtros hilarat præſentia ſaltus,
Ingeniumque loci cicurat ſilueſtris. heriles
Qua fert cumq; gradus, caſiam calcata crocumq;
Fūdit humus. Legere eſt ipſis [a] ex thura myricis.
Ipſæ iam filices nardi mutantur ariſtâ,
Carduus Aſſyrio calamo, ſerpylla roſetis.
Denique tophus vbi fuerat ſcaber hactenus; illuc
Iam migraſſe putes Nabathæi germina ruris.
Quiſquis ad hos poſthac incerta mapalia ſaltus
Paſtor ages; tecum miraberis ipſe frequenter
Cedaris antè feros tractus, deſertaque vaſta
Numinis aduentu veterem poſuiſſe rigorem,
Et didiciſſe nouo paſſim miteſcere cultu.
Pinguior vt non ſit bifera iam gleba Segoræ
Non [b] Achoritanæ molliſſima paſcua valles.
Hîc ſtabiles tibi fige lares; hîc oppida conde
Si ſapis vpilio (nec enim tentoria tanti
Sunt tua) diſperſos huc vndique coge ſodales,
Et noua conſcriptis pomœria ciuibus imple.
Creſcere poſt aliquot tua regna videbis ariſtas.
Ergo domos vagus ille [c] Nomas colet? & colet vrbes?
Ergo ferox, [d] pridem conſuetaque viuere rapto
Cedaris [e] atra volet pubes iam ciuis haberi,
Et ſinet ignauos famulari legibus arcus?

[a] Video huiuſmodi verborum tranſpoſitionem Lucretio & Virgilio placuiſſe.
[b] Vallis Achor eadem quæ Engaddi.
[c] Diuerſi ab Afris hi Nomades Arabes.
[d] Cedarenorum ferociã notat Rex Dauid Pſal. 119. *Habitaui cum habitantibus Cedar, cum his qui oderũt pacem.*
[e] Vox *Cedar*, Hebraicè nigrorẽ ſignificat: quæ ſignificatio ad mores transfertur. Vulgò notum eſt, hominem nigrum, hominem infidum dici; contrà hominem candidum, vocari eum qui verax & ingenuus eſt. Adeò omnium ætatum & gentium conſenſu, ſumma ſemper fuit coloris nigri infamia; vt contrà, candoris ſummus fauor.

Cedar, pars Arabia Petraa. Laudate habitatores * Petræ, de vertice montium clamabunt.

Ponent Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nuntiabunt.

LIB.

Nunc & oui lupa fœta teget latus, vrſaq; dama,
Et modò cum vitulis ſtabulo claudetur eodem
Hoſpitij condocta fidem ſeruare leana;
Paſtor Arabs iaculis quãdo exarmatus & arcu,
Mitis ad vrbana recipit ſe munia vitæ.
Non ſtruet inſidias, nec in antris vlla reductis
Damna viatori poſthac meditabitur. Ite
* *Ite bonis auibus quicumque per auia teſqua*
Cedaris, ad lauta merces properatis Erythra:
Cedaris infamis non eſt modò ſilua rapinis.
Petricolas Arabes iam Pax habet. Omnia rixæ
Semina ſunt ſublata. Manet certamen id vnum
Quis meliùs votiua Deo iam carmina dicet:
Vndique diuinis reſonant iuga Cedaris hymnis.
An Muſa, Nomades etiam fecere poëtas?
Non equidem Muſa, Nomades fecere poëtas;
Fecit Amor: cæleſtis Amor ſic omnibus afflat;
Hic Elegos vt fundat, vt ille libentiùs Odas,
Populeis alij mandent Epigrammata truncis,
Lanigeras pars inter oues Idyllia pangant,
Alternoque vocent ſeſe in certamina cantu.
Arbiter huic aliquis ludo victoribus æqua
Præmia, gramineas donabit habere coronas,
Et fuſcas hederâ frontes circumdabit albâ.
Hac fuit exili non dedignatus auenâ
Ludere, Muſa, tuus paſtoria carmina vates
*Dũ ſedet ad tremulã * pecoroſi Cedaris vmbrã.*
Surgamus: nitidos en extulit Heſperus ignes,
Et gelidus noctis iam gramina proluit humor.

* Propheta alloquitur hîc Sidonios augurijs addictos.

* *Vniuerſi Principes Gedar, cum agnis, & arietibus, & hœdis, venerunt ad te negotiatores tui.* Ezech. c.27.

* *Omne pecus Cedar congregabitur tibi.* Iſaiæ cap.60.

LIB. II. REGVM

CAP. I.

PLanxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saül, & ſuper Ionatham filium eius (& præcepit vt docerent filios Iuda ARCVM, ſicut ſcriptum eſt in Libro iuſtorum.) & ait:

Conſidera Iſraël, pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati.

Inclyti, Iſraël, ſuper montes tuos interfecti ſunt: quomodo ceciderunt fortes?

Nolite annuntíare in Geth, neque annuntietis in compitis Aſcalonis: ne fortè lætentur filiæ Philiſthijm, ne exultent filiæ incircumciſorum.

ARCVS *Titulus eſt huius Poëmatis (ex Marianæ noſtri ſententiâ) ab auctore Dauide inditus; qui præcepit Chonenia Principi Prophetiæ, vt doceret* ARCVM *cantores quos Rex inſtituerat. Idem eſt Princeps Prophetiæ, quòd Princeps cantus. prophetare enim pro eo quod canere frequentiſſimè in ſacrâ Scripturâ vſurpatur: nec ſolùm Prophetæ vocabulum ad Muſicos & cantores traduci video, verùm etiam ad ipſos Poëtas Canticorum artifices. Quo ſenſu Apoſtolus Paulus, Prophetæ vocabulum pro Poëtâ vſurpauit, ſic ad Titum ſcribens de Epimenide Poëtâ Cretenſi:* Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum Propheta.

Montes

ARCVS IDYLLION.

ARGVMENTVM.

DAVIDIS Cantores, SAVLE & IONATHA interemptis, hoc Epicedium Amœbæo carmine cecinerunt.

PVERI.

Nuntius è caſtris noſtras peruenit ad aures.
Nuntius Hebræis quantum fert iſte dolorem?
Quot properat lacrymas? Gelboæ in montibus ergo
Heroës duo Beniamidæ, duo fulmina belli,
Oppetiere necem? flos Iſraëlis acerbo
Ergo iacet fato? Prô lux feralis & atra!
Siccine Beniamidæ cecidere Heroës inulti?

PVELLÆ.

Nuntius illa tuas qui funera vulgat ad aures,
Ne ferat hæc etiam Tyrijs, Hebrae, caueto.
Neſciat ô Sidon, ô neſciat Aſcalus iſtud!
Ne Chananæa tuis inſultent oppida damnis;
Néve Palæſtinæ ſibi plaudant fortè puellæ,
Et ſalibus te proſcindant petulanter amaris.
Siccine Beniamidæ cecidere Heroës inulti?

Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum:

quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saül, quaſi non eſſet vnctus oleo.

A ſanguine interfectorum, ab adipe fortium, ſagitta Ionathæ numquam redijt retrorſum, & gladius Saül non eſt reuerſus inanis.

Saül & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua,

in

PVERI.

Gelboë montes, tanta loca conſcia cladis,
Exoſi montes! non ros, non depluat imber
Vos ſuper, æternùm ſteriles nec farra feratis,
Nec noua vina Deo quæ prælibentur ad Aram:
Armorum poſtquam ruit omnis gloria veſtris
Strata iugis; poſtquam Ionathæ, cæſique Saülis
Deturbata ſolo vidiſtis ſcuta: pudendum
Heu Iſraëlis miſero de Rege trophæum!
O quantum Gabaa, ô quantum tu Patria perdis
Præſidium rapto Ionathâ florentibus annis?
Robur enim Ionathæ ſtupuerunt claraque facta,
Sæpè Palæſtinæ natorum in funere matres,
Miſſilis illius quos conficiebat arundo
Ictibus haud vmquam vanis. non certior illâ
Vlla ſagitta fuit, nec quæ magis audijt arcum.
Haud minor amiſſi tamen eſt iactura Saülis;
Cuius in Allophylos diſtrictus ſæpiùs enſis
Vaginâ recipi numquam ſine cæde ſolebat.
Siccine Beniamidæ cecidêre Heroës inulti?

PVELLÆ.

Carmeli montes pingui lætentur oliuâ:
Halet aromatibus Libanus, myrtoque virenti:
Funeſtâ rigeant Gelboa cacumina taxo.
Namque ſepultus ibi perijt Decor omnis, & vnà
Omnis Amabilitas Ionathæ commortua dulci.
Non illi quiſquam formâ ſe contulit oris:

Seu

in morte quoque non ſunt diuiſi:

aquilis velociores, leonibus fortiores.

Filiæ

Seu puer intexto Tyriam demitteret auro
Ex humeris chlamydem, chlamys oſtro tincta
decebat
Candentes humeros; ſeu factus adultior arma
Indueret, ſumptis horrebat molliter armis:
Et ſolo genitore minor, Dux agmen agebat,
Sic alios ſuperans, genitor ſuperabat vt ipſum.
Quippe velut ſurgit procero ſtipite laurus,
Lentáve ſe tollunt inter viburna cupreſſi;
Sic decies in mille viris ſtetit arduus, omnes
Exceſſitque Saül ſuper-extans vertice toto.
Ambo formoſi, pollentes viribus ambo.
Ambo pares animis, quos nec Mors ipſa diremit,
Siccine Beniamidæ cecidêre Heroës inulti?

PVERI.

Hebræi lugete Duces, lugete Tribuni,
Ipſe etiam miles loricas exuat, arcum
Frangat, & aëriâ pharetram ſuſpendat ab
vlmo:
Infelix miles! Quid enim ſperabit adempto
Rege? Saül poſthac non illum in prælia ducet,
Non Jonathas: nec erit magnum præſtare
Saülem
Qui queat, aut Ionathan; leo non æquauerit
illos,
Non aquila ad prædam celeri cùm prouolat alâ,
E ſpeculâ pullis rimata voracibus eſcam.
Siccine Beniamidæ cecidere Heroës inulti?

PVEL-

Filiæ Iſraël ſuper Saül flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.

Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelſis tuis occiſus eſt?

Doleo ſuper te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum.

Sicut mater vnicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam.

Quomodo ceciderunt robuſti, & perierunt arma bellica?

ISAIÆ

PVELLÆ.

*Hebraides lugete nurus, * lugete puellæ*
Innuptæ: paullùm thalamos mihi Virgo relinque,
Arcanos thalamos; ſquallenſq; in compita prodi
Paſſo crine. Saül fieri ſibi talia mandat,
Lugendus de more Saül: qui tortilis auri
Ornamenta dabat tibi longis parta triumphis.
Abſit ab articulis, nunc abſit ab auribus aurum,
Murice palla nitens nunc abſit; idonea non eſt
Luctibus: in cultu meliùs lugebitis atro.
Siccine Beniamidæ cecidere Heroës inulti?

* Quòd Virgines clauſæ etiam in publico luctu egrederentur, ſicut in Triumphis, lucu- lentum habes exemplum in Principum Aſſamoneorum Hiſtoriâ. *Sed & Virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam.* cap. 3. lib. 2. Machab.

PVERI.

Iuſta tuis, Ionatha, facit hæc mœſtiſſimus umbris
Fœdere fraterni Dauid tibi iunctus amoris.
Nullus enim fratrem ſic umquam frater ademptum
Fleuit, ut ille ſuos te ſuſpirauit amores.
Siccine Beniamidæ cecidere Heroës inulti?

PVELLÆ.

Nulla parens ſic unigenæ ſub funera nati
Luxit, ut extincto non conſolandus amico
Ieſſiades. Valeant, pereant, ha! funditus arma,
Armorum quando Ionathas decus occidit omne.
Siccine Beniamidæ cecidere Heroës inulti?

ZELO-

ISAIÆ

CAP. V.

Canticum hoc duabus conſtat partibus, aliquot capitum interuallo ſeiunctis. Prior Cantici pars ex c. 5. Iſaiæ ſumpta eſt, & continet expoſtulationem aduerſus ingratã Vineam. Poſterior Cantici pars ex c. 27. Iſaiæ ducitur, vbi Propheta laudat Vineam meri. Quod ante me obſeruauit noſter Gaſpar Sanctius.

CAntabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ.

Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.

Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam,

& ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea:

& expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruſcas.

Nunc

ZELOTES IDYLLION.

ARGVMENTVM.

ISAIAS Propheta in paſtoralem ſcenam EMMANVELEM, Sponſæ ſuæ Synagogæ perfidiam exprobrantem, ſub eleganti & floridâ vineæ allegoriâ introducit.

TRanſlatos aliò Sponſa dū ſenſit amores
Montibus in Solymis hinc vſque ad ſidera notus
Emmanuel; vt erat ſterilis tunc fortè ſub vmbrâ
Palmitis; Et cui iam tutum ſit credere, dixit,
Vinea me quando ſpe ludificauit inani?
Quamuis illa mihi ſit opimo conſita colle,
Cui non Engaddi locuples contenderit aruum,
Non Soretano vallis celeberrima botro.
Fertilibus quis enim me latiùs imperat agris?
Quis meliùs glebam ſcrupis eruderat alter?
Ingenium quis me poſituſque notare locorum
Doctior, aut iuſtis plantaria credere ſulcis?
An ſola ſplendenti memorem mihi verſa ligone
Sæpiùs; anne ſatam generoſo germine vitem?
An poſitam fundi circum confinia ſepem?
Vt ſileam magno ſtructam molimine turrim,
Multiplicesque penus, noua ne deſideret amplo
Quas mihi prouentu ſtipet vindemia cellas.
En mea cunctantes inuitant prœla racemos,
Prægeſtitque lacus muſto ſpumare rubenti.

Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam.

Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci? an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?

Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.

Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur: & aſcendent vepres & ſpinæ:

&

Cur expectatos differs mea vinea fructus?
Heu! malè te aduerſus ſtudium conſumpſimus omne,
Reſpondere meo pugnas ſi perfida voto;
Pergis in agreſtem ſi degenerare labruſcam;
Si mihi pro botris fetus obtrudis amaros,
Vnde moleſta crees ſtomacho faſtidia; quando
Debueras tantis exercita vinea curis
Vina nouum domino Sabamæa reponere nectar.
Dicite (cura mei ſi vos habet vlla Sodales)
Dicite, quâ merui precor hæc ludibria culpâ,
Vt mihi quæ mites promiſerat hactenus vuas,
Indole mutatâ vitis nunc reddat acerbas?
Num fuit officij quidquam mihi forſan omiſſum
Neglectúmve mei? quæ me vigilantia fugit?
Quid me præterijt? vitio quid vertere poſſis
Præter amaſſe nimis? Meus hic erit vnicus error,
(Si tamen error erit) mihi quòd ſpes vberis inde
Facta fuit laticis; me quòd ſpes illa feſellit.
Quare age nunc omnem illius depone curam,
Si potes Emmanuel. Potero. dabit ira pudorque
Poſſe. Quid? hæc igitur poſthac deſerta iacebit?
Et iaceat: ſummumque imâ radice flagellum
Contingat; nec opem ſit qui præbere laboret.
Sedulus hanc curuâ non fingat falce putator
Aggrediens ferro ramos cohibere fluentes:
Non ea robuſtus reſupinet iugera foſſor
Aſſiduo prohibens vitem ſilueſcere cultu;

 Sed

& nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.

EX CAP. XXVII. ISAIÆ.

Ego Dominus, qui ſeruo eam, repentè propinabo ei: ne fortè viſitetur contra eam, nocte & die ſeruo eam.

Indignatio non eſt mihi: quis dabit me ſpinam & veprem in prælio? gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter?

An

Sed ſinat extingui ſuperantibus vndique ſpinis.
Quin etiam ſepem manibus demoliar iſtis
Quam poſui. Pateat cunctis mea vinea prædæ;
Jlludant illi pecudes impunè: petulcus
Hanc caper inceſſat cornu, durique veneno
Dentis, & admorſo plagas in cortice ſignet;
Fulmineus populetur aper, pandoque iacentem
Funditus euertat roſtro, vaſtetque, ruatque.
Ah miſera! ah quæ nunc ſpes eſt ſuper? An tibi ſuccos
Sufficient auræ forſan, roreſque benigni,
Vnde refloreſcas, rurſumque à ſtirpe reſurgas?
Non mihi ſic viſum. Madidis edicimus Auſtris
Demittant aliquos vltrà ne nubibus imbres
Te ſuper. Ipſa ſiti languens, confectaque colles
Vndique vicinos oculo liuente rigari
Vberibus ſpectabis aquis. Sed & arida pridem
Deſerti facies mutata repentè virebit,
Siccaque ieiuni pingueſcet glarea ruris,
Me tempeſtiuos ſuper affundente liquores.
Quique priùs fuerat ſitienti pactus in aruo
Surculus, vuidulo trudet iam palmite gemmas,
Me tenerum blando fruticem mulcente fauore.
Alterius quanto cernes hæc commoda luctu?
Vt prælata tibi vineta nouella dolebis?
Jnuida me vanis incendere mitte querelis:
Nil mihi perſuades. Odióne vt proſequar iſtam
Quæ morem gerit ad nutus mihi vitis heriles?
Non furor hic animo eſt aut indignatio noſtro.

An potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?

Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Iſraël, & implebunt faciem orbis ſemine.

An quia damnaui te perfida vepribus, ijſdem
Hanc quoque me ſpinis obducere velle putaſti,
Et pariter tecum crepitantibus vrere flammis?
Quin potiùs feret huic tenera mea dextera planta
Semper opem; ſolida eſt ipſi quia gratia mecum,
Gratia nullius liuore ſolubilis vmquam.
Felix planta! vetus nunc obliuiſcere nomen;
Vitis eris poſthac Iſraëlitis, in illam
Auſpicijs tranſlata meis. tibi fertilis vua
Cedet in aprico Balhamonis vinea cliuo,
Quæque Damaſcenis vindemia pendet ab vlmis:
Latiùs induces virides tu collibus vmbras,
*Et * conſemineis implebis ſtirpibus Orbem.*

* Vtitur Columella hoc vocabulo Lib. 3. cap. vltim.



EX LIB. NVM.

CAP. XXIII. & XXIV.

CVm *Balac* duxiſſet *Balaam* ſuper verticem montis Phogor, qui reſpicit ſolitudinem, dixit ei Balaam:

Ædifica mihi hîc ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdemque numeri arietes.

Fecit Balac vt Balaam dixerat: impoſuitque vitulos & arietes per ſingulas aras.

Cum-

CARMINA IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Acceerſitus augur BALAAM à Rege Moabitarum BALAC, vt caſtris ISRAELIS malediceret, præter expectationem è vertice montis Phogor benè illis precatus eſt.

TE quoque Muſa, iuuet veteris meminiſſe Balami;
Cuius Idumaas perhibent ad carmina rupes,
Et iuga palmiferi quondam tremuiſſe Phogori:
Vnde per Arnonis latè ſpatiantia vallem
Caſtra videns Hebræa ſenex; Altaria, dixit,
Hîc mihi, Sephorida, ſeptem ſtrue, de grege ſeptem
Huc vitulos, agnos huc ſeptem ſiſte. ſit ara
Hoſtia quaque ſua. numero Deus impare gaudet.

BALAC.

Ecce tot hîc aræ quot præcipis: en ſuper aram
Hoſtia quæque ſuam. Nihil hîc niſi carmina deſunt
Deuoueas quibus Iſacidas. Tibi rumpitur anguis
Carminibus: fac Iſraël rumpatur iiſdem.
Sed priùs augurium capta, de more, ſecundum.

Cumque vidiſſet Balaam quòd placeret Domino vt benediceret Iſraëli, nequaquam abijt vt antè perrexerat, vt augurium quæreret: ſed dirigens contra deſertum vultum ſuum, & eleuans oculos, vidit Iſraël in tentorijs commorantem per tribus ſuas: & irruente in ſe ſpiritu Dei, aſſumpta parabola ait:

Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius:

Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël! vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas.

Fluet aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas.

Tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius.

Deus

BALAAM.

Nil moror augurium. Deus, en Deus. ore fauete,
Iam canere arcanas ego filius ille Bioris
Incipiam ſortes, venturaque dicere fata,
Quæ Deus eſſe ſuo voluit præcognita vati;
Pectoris erudiens oculos mihi luce ſupernâ,
Senſibus abducit dum me tantiſper ab imis.
Quàm iuuat Iſacidûm niueis tentoria velis
Aſpicere, & pulchro digeſtas ordine turmas:
Sic mihi thuriferis Arabum viridaria rident
Arboribus diſtincta; placet ſic vallis opaca
Ilicibus, ſic curua ſatæ prope flumina cedri.
O quantum ſoboles creuit fecunda Iacobi!
Qui volet illius numerum ſubducere, diſcat
Antè, quot appellant ad Ioppes littora fluctus;
Aut vbi præcipitans inuergit Aquarius vrnam,
Effuſæ quot in arua cadant ſtagnantia guttæ.
Quis reget hanc primus gentem? de ſanguine cretum
Beniamini video iuuenem. quantum inſtar in illo eſt?
Qui comites cingunt latus? vt ſuper-eminet omnes?
Felix ille, ſuo ſi non ignouerit hoſti,
Si non oranti veniam donarit Agago.
Hunc propter regno cadet, & ſtirps tota nepotum.

Tanti

Deus eduxit illum ab Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.

Deuorabunt gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis.

Accubans dormiuit vt leo, & quaſi leæna, quam ſuſcitare nemo audebit.

Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

Ira-

Tanti ſtat, non imperio parêre Tonantis.
Sit, moneo, tuus iſte labos Hebrae, ſit vna
Cura, Dei docilem monitis aduertere mentem:
Qui Phariâ ſoluit te compede, quique Tyrannum
Vltor Erythraas Pharaonem excuſſit in vndas,
Ventilat vt cornu meditantem prælia taurum,
Rhinoceros, cui non ſe conferat vlla ferarum.
Et quiſquam, Deus armipotens, tibi robore certet?
Si coniuratus bellum tibi mouerit Orbis;
Se coniuratus ſuperatum ſentiet Orbis.
Omnis Arabs, omnis tibi ſe ſubmittet Idume,
Denique quotquot erunt Hebræi nominis hoſtes,
Te ſternente cadent traiecti terga ſagittis,
Albentéſque tegent cumulatis oſſibus agros.
Iam lituos audire iuuat, iam claſſica Iudæ
Victoris, iam Ieſſæos ſpectare triumphos!
Quem ſe fert curru Rex conſpiciendus eburno?
Vt viridi in ſaltu leo procubat, vtve leæna
Venantum ſecura iacet: ſic otia victor
Ieſſiades colet, ô tantùm mihi ſuppetat æui
Quantum ſat fuerit victori fauſta precari!
Qui tibi læta canent Epinicia, maxime Regum,
Illis mella fluant, illis naſcatur amomum.
Si quis erit, Diris qui te deuouerit; illi
Pro violâ, ſpinis veniat paliurus acutis.

BA-

Iratuſque Balac contra Balaam, comploſis manibus ait:

Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus econtrariò tertiò benedixiſti: reuertere ad locum tuum.

Decreueram quidem magnificè honórare te, ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito.

Reſpondit Balaam ad Balac: Nónne nuntijs tuis, quos miſiſti ad me, dixi: Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, vt vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: ſed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?

Verum-

BALAC.

Vane ſenex hoſti decuit te dicere carmen
Exitiale meo; cur auxiliare repentè
Ter canis? ô vtinam numquam mihi cognitus eſſes!
Eheu quid volui miſero mihi! fontibus aprum
Immiſi, demens cùm te hac in regna vocaui.
I, quocumque pedes, & te mala deferet ales.
Mens equidem fuerat hinc te dimittere largis
Ornatum donis; nec enim mihi talia deſunt:
Sunt & oues; ſunt & pingues, Dis gratia, tauri;
Infecti ſunt argenti factique talenta:
Illa Palæſtinus ſibi pridem exoptat aruſpex,
Et referet; mea quandoquidem tibi munera ſordent.

BALAAM.

Non ego neſcieram te munera plurima, fando
Quæ numerare vales, pretium dare poſſe Balamo
Carminis: at non, ſi montes promiſeris auri,
Vertere, Sephorida, decreta æterna valebo.
Méne putas hæc ſponte loqui? mihi maximus auctor
Eſt Deus, hic vati numeros & carmina dictat.
Quæ iubet, illa cano. Si quid tamen hæc mea, ſi quid

Conſilio

Verùmtamen pergens ad populum meum, dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.

Sumpta igitur parabola, rurſum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.

Videbo eum, ſed non modò: intuebor illum, ſed non propè.

ORIETVR STELLA ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël: & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth.

Et erit Idumæa poſſeſſio eius: hereditas Seïr cedet inimicis ſuis: Iſraël verò fortiter aget.

De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.

Cumque vidiſſet Amalec, aſſumens parabolam, ait:

Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur.

Vidit quoque Cinæum; & aſſumpta parabola, ait: Robuſtum quidem eſt habitaculum

tuum:

Conſilio poterit prodeſſe induſtria vobis,
Experiar; teque hinc diſcedens pauca monebo.
Abripit intereà quò Numinis aura, ſequamur.
Pax igitur linguis. ego filius ille Bioris
Os animumque Deo plenus, mihi viſa profabor.
Eminus ecce nouum video procedere ſidus:
Ecce domo naſcens orietur ſtella Iacobi.
Stella, Iacobe, tibi; tibi ſe demittet ab æthrâ
Ipſe Deus, præſens, qui ſceptra Hebræa capeſſet.
Huius in aduentum iam nunc Moabitica regna
Reſponſis horrent cæleſtibus; horret Idume,
Et iuga nimboſi trepidant turbata Seïri.
Hic Iſraëli trans vltima Bactra, Scythaſque,
Proferet imperium, quod nec mare terminet ingens.
Si qua ſub axe iacet Mundi plaga, quò neque nauta
Cornua Sidonij torſerunt hactenus, extra
Aſtrorum Soliſque vias, huic ſeruiet vni.
Vnus enim terris hic omnibus aurea condet
Sæcula, purgato monſtris immanibus Orbe.
Quò feſſum rapis infelix Amalecia vatem,
Terra, antiqua, potens olim? fata aſpera, fata
Nunc te dira manent, nunc alto à culmine præceps
Acta rues. Neque vos melior fortuna Cinæi
Excipiet; quamuis firmiſſima ſaxa tenetis.

tuum: ſed ſi in petra poſueris nidum tuum, & fueris electus de ſtirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Aſſur enim capiet te.

Aſſumptaque parabola iterùm locutus eſt: Heu! quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus?

Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt.

ISAIÆ

Hinc, velut è nido quò congeſſere columbæ,
Vos celer Aſſyrij depellet militis arcus.
Aſſyrio ſed & impendent ſua fata viciſſim:
Namque ſeneſcentis ſub ſæcla nouiſſima Mundi,
Ille tuas ſupplex agnoſcet, Roma, ſecures:
Hoc tibi nomen erit, nunc es ſine nomine tellus.
Ipſe quoque Hebræus longâ obſidione premetur;
Inuitâque iugum Latij ceruice ſubibit.
Nec minùs inſtabiles rerum tu maxima Roma
Experiere vices: quoniam ſors omnia verſat.
Augur ab his tacuit; caliq; e parte ſerenâ
Intonuit læuum, quod tot præſagia firmet.



ISAIÆ

CAP. XII.

COnfitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.

Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo:

Quia

SOTER IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Exprimit hoc poëmate ISAIAS Propheta ſub fontis allegoriâ, quanta in ECCLESIAM futura ſit donorum DEI SERVATORIS profuſio.

Fortè ſub vmbroſo captabat frigora luco
Amoſides, ſpatioque viæ deſeſſus, & æſtu;
Cùm ſubitò afflatus meliori Numinis aurâ,
Ad circumſtantes dedit hæc oracula ſiluas:
Iam tempeſtiuum fas eſt mihi pangere carmen:
Antè (fatebor enim) mœror me tantus habebat,
Dum tua detonuit magno, Deus, ira fragore;
Vix vt vita foret, nedum mihi carmina cordi.
At ſimul vt poſitus furor eſt tibi, ſe ſimul agro
Interdicta diu retulerunt gaudia vati:
Inque tuas arſit mihi mens erumpere laudes.
Sic vbi ver hiemi tepidum ſucceſſit aquoſæ,
Nubila ſoluuntur zephyris, nitet æthere ſudo
Sol meliùs, totique redit ſua gratia Mundo:
O anime! antiquos hinc iam obliuiſcere luctus,
Diluat & vanum fiducia certa timorem:
Ecce venit; tibi quem promitti ſæpiùs audis
Seruator tuus ille, Dei genus, aurea terris

Quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris:

Et dicetis in die illa: [a] Confitemini Domino, & inuocate [b] nomen eius.

[a] *Familiare eſt Poëſi Hebraæ huiuſmodi Epiſodia Canticis intexere.*

[b] *Paſſim in ſacris Litteris Nomen Domini, idem eſt quod Filius Dei.*

Notas

Sacula qui condet: ſtudij qui largus in omnes,
Aſſeret inualidis vires, agriſque ſalutem.
Huc ades ô diuine puer! te noxia viſo
Gramina, te colubri ponent mulcente venenum:
Quaque ſiti fuerant damnata nuper arena,
Ecce tuo aduentu ſalientibus vndique manant
Fontibus, & rorat ſcatebris priùs arida gleba:
Latiùs vt Siloë Dauidis non irriget hortos,
Quamuis ille ſacrâ lapſus de rupe Sionis
Mille per areolas tortis anfractibus erret.
O! Seruatoris dulces è fontibus vnda,
Quas ſuper-aſpirans alit indulgentia cali,
Didit & in terra cunctas habitabilis oras.
Huc alacres ergo ſpretis properate lacunis:
Hos, pueri, latices haurite: hoc pellite longam
Fonte ſitim, vos his certatim tingite lymphis.
Felix qui largo totum ſe proluet hauſtu!
Siue Hebraus erit, ſiue Aduena, nullus ab iſtis
Submoueatur aquis. Nullo diſcrimine mixtus
** Barbarus indigenis communia pocula ducat.*
Cùm madidi fuerint, vox hac erit omnibus vna:
O Pater! ô magno Proles aquaeva Parenti,
Aſpirate nouo, vobis quem dicimus, hymno!
A Patre principium ſit carminis. Omnia munus
Sunt Patris. Hic rerum caput eſt, & terminus idem.
Ille fauet nobis: illi ſua ſemper apud nos
Laus erit, & nullis veteraſcet gratia ſaclis.

* Iudæi hos omnes Barbaros eſſe cenſebant, qui non vterentur linguâ Hebraicâ.

Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in vniuerſa terra.

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.

Teque adeò æterni magnum Patris incrementum
Humani generis Seruator, ad aſtra feremus:
Semper ad aſtra feremus amabile nomen IESV.
Si tamen hoc impar non aſpernabere carmen;
Namque tuum quis conſilium, ſenſuſque profundos
Efferat ore pari? quis ſuſpicienda reperta,
Ingenioſus Amor tibi quæ dictauit, adumbret?
Ingenioſus Amor modicos te cogit in artus;
Matris eburneolis te cingere colla lacertis
Ille docet, niueoque rigare labellula lacte:
Vnde tibi tacitis placidiſſimus ingerit alis
Se ſopor. Ah illum ne garrula rumpat hirundo!
Ah tibi lacrymulis ne ſemircluſa rubeſcant
Lumina, dum reliquũ deterges pollice ſomnum!
Non erat humanum tanti genus; eius amore
Vnus vt è nobis fieres, vt paruus, vt infans,
Clara Dei ſoboles! ô munificentia, nullum
Aut ſeruare modum aut finem cõtenta merendi!
Audiat hæc omnis diuina Genethlia tellus:
Audiat, exultetque Sion. Quia monte Sionis
Alme puer, ſanctum iubar Iſraëlis, ab alto
Exoriere, tua mediuſque videbere plebi.
Præſcius hæc vates ſuper Emmanuële canebat:
Quæ ſi me Latiâ reſonare ſinetis auenâ
Muſa, noſter amor, Solymitides; hæc rea voti
Conifera vobis pendebit fiſtula cedro.

EX LIB. II. REG.

CAP. XXIII.

HÆc autem ſunt verba Dauid nouiſſima.

Dixit

GEORGIO STENGELIO

SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

GRATIÆ IDYLLION.

ARGVMENTVM.

Hoc Idyllio totum ſe in gratiarum actionem effundit DAVID, à DEO aſſumptus ex humili Paſtore ad regnum Iſraël.

Siue iugo ſacri reſides formoſa Sionis
Gratia, ſiue choros manibus per mutua nexis
Cum geminâ ducis per florea prata ſorore
Ad Iordanis aquas; paullùm Solymæa relinque
Paſcua, Vindelicum pro me viſura Lyceum,
Vindelicique decus compellatura Lycei
STENGELIVM: *cuius pridem ſum totus in ære.*
Nec fas tanta meis diſſoluere nomina verbis
Tu niſi præs fias, niſi tecum ſpondeat vnà
Ieſſiades, tibi præ cunctis dilectus alumnus.
O illi quoties & quàm diuina locuta es!
Partem aliquam numeris mihi da vulgare Latinis,
Ut ſua STENGELIO *ſint à me dona viciſſim,*
Ut memor officijs certem, vincique recuſem.
Incipe. pauca meo dic nomine carmina, quondam
Quæ Dauid à caulis ad Iudæ ſceptra vocatus
Panxit;

Dixit Dauid filius Iſai: dixit vir, cui conſtitutum eſt de chriſto Dei Iacob, egregius pſaltes Iſraël.

Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.

Dixit Deus Iſraël mihi, locutus eſt fortis Iſraël, Dominator hominum, iuſtus Dominator in timore Dei.

Sicut

Panxit; agens tali meritas pro munere grates.
O mihi præteritis modulata frequentiùs annis
Cùm patrias agerem per Ephratea rura bidentes,
En age nunc etiam me cantibus affice blandis
Fiſtula, regales poſtquam ſum nactus honores,
Nec Regem me pœniteat tibi iungere labrum,
Cui ſacer aſpirat diuinâ Spiritus aurâ:
Hoc afflante ſonas celſum, mea tibia, carmen,
Et te ſtelliferis attollens axibus inſers;
Vnigenamque Dei natum, de vertice ſummo
Ætheris, humanæ trahis ad commercia vitæ:
Fataque venturis miranda nepotibus edis.
Quî fit vt exili ſic delectetur auenâ
Sic tenui ſtipulâ magnus Deus? An iuuat illum
Ludus hic, ima ſolet qui conciliare ſupremis?
Semper id acceptum refer illius omne fauori,
Quòd ſit vbique tibi magnum, mea tibia, nomen:
Quòd tua per Solymos lignator carmina ſaltus
Cantet, & hæc Libani doceat reſonare cupreſſos.
Ergo priùs ſit apis florum, roriſque cicada
Immemor, & nidum dediſcat amare palumbes,
Antè Dei quàm te capiant obliuia. Semper,
Seu reteget Sol manè diem, ſeu veſpere condet,
Ille tibi ſit præcipuo celebrandus honore;
In Solymos cui multa focos cadit hoſtia, multo
Thure Sionæis cui fumat in arcibus Ara.
O columen gentiſque meæ, Pater alme, meumque!

Vt

Sicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuijs germinat herba de terra.

Nec tanta eſt domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atquè munitum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas: nec eſt quidquam ex ea quod non germinet.

Præua-

Vt regis humanum placidè genus? omnia blando
Flectis vt imperio? iuſtè quàm cuncta gubernas?
Sicque faues primis, vt non tamen vltima ſpernas?
Non fuit idcircò Dauidis tibi gratia vilis,
Quòd fratrum minimus, paſtor quòd paruulus eſſet,
Antè Palæſtinæ quàm regna capeſſeret oræ,
Orſus ab obſcurâ quæ te fuit auſpice ſorte.
Ac velut erumpit, ſed quæ vix diſcrepet vmbris,
Prima dies, ſenſimque roſis ferit atria cæli;
Mox auri fulgore micans circùm vndique lumẽ
Creſcit in immenſum, radioſque exporrigit omnes:
Haud ſecùs à modico paullatim ſuſtulit ortu
Se Ieſſæa domus. Quid enim domus eſſet Ieſſe,
Ni Pater indulgens huic incrementa dediſſes?
Tu mediâ lectum Dauidem de plebe, Saülis
Subſtituis ſolio, ſacroque perungis oliuo;
Iura det vt terris quas hinc mare terminat, illinc
Palmifer Euphrates. Et quò tua dona manerent
Perpetua, hæc mecum conceptis edita verbis
Fœdera ſanxiſti: Tellus dum ſtabit & æther
Manſuros Dauidis per ſæcula cuncta nepotes,
Qui Solymi teneant ſceptrũ immutabile regni.
Neu quid opum cumulo vel honorum deſit, in horas

Splen-

Præuaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus.

Et ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque ſuccenſæ comburentur vſque ad nihilum.

Splendidiora mihi benefacta prioribus addis.
Et quis erit modus? Uberiùs non vere tepenti
Roſcidus in terras cælo demittitur humor,
Qui ſola fecundet largis prouentibus; vnde
Luxurians læto progerminet herba virore.
A te principium, iugi ceu fonte, ſalutis
Omne mea fluit. Hic à te mihi naſcitur vno
Impetus, hæc ardens & inexſaturata voluntas,
Teque tuaſque, Pater, laudes ſuper aſtra fe-
rendi;
Si quantum cuperem, poſſem quoque. Dulcius
vllum
Non mihi ſit ſtudium, potior non vlla voluptas,
Quàm meminiſſe tui. Si quis tua noſſe pro-
fanus
Numina diſſimulet, ſi te quis amare recuſet,
E viuis illum precor à radice reuellas:
Iratus velut exſcindit vepreta colonus,
Eluſum vlciſcens immiſſis falcibus annum;
Vrere nec dubitat crepitante noualia flammâ,
Quando aliter nequit inuiſos euincere ſentes.
Conſurgunt nigri ſinuoſâ volumina fumi,
Vicinaſque tegunt denſâ caligine ſiluas.
Omnia quæ Dauidi crebrò meditata, beatus
Audijt Hermonis vertex; nunc & iuga diſcent
Norica, ſi facili meus hæc admiſerit aure
STENGELIVS, *noſtram nuper dignatus amico*
Accipere hoſpitio, quamuis ſit ruſtica, Muſam.

INDEX CANTICORVM.

Canticum Moyſis & Mariæ.

CAntemus Domino: glorioſè enim. *ex Exod.* 15. *pag.* 10.

Canticum nouiſſimum Moyſis.

Audite cæli quæ loquor. *ex Deuter.* 32. 18

Canticum Debboræ.

Qui ſponte obtuliſtis. *ex Iudic.* 5. 36

Canticum Iudith.

Incipite Dño in tympanis. *ex Iudith* 16. 50

Canticum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino. *ex Dan.* 3. 58

Canticum Ionæ.

Clamaui de tribulatione mea. *ex Ion.* 2. 64

Canticum Annæ.

Exultauit cor meum in Dño. *ex* 1. *Reg.* 2. 70

Canticum Ezechiæ.

Ego dixi: In dimidio. *ex Iſai.* 38. 76

Canticum Habacuc.

Domine audiui auditionem tuam. *ex Habacuc* 3. 82

Canticum triumphantis Eccleſiæ.

Vrbs fortitudinis noſtræ Sion. *ex Iſai.* 26. 92

Canti-

Canticum Zachariæ.

Benedictus Dominus Deus Iſraël. *ex Luc.* 1. 108

Canticum Simeonis.

Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. *ex Luc.* 2. 114

Canticum Beatiſſimæ Mariæ Virginis.

Magnificat anima mea Dominum. *ex Luc.* 1. 116

INDEX PSALMORVM.

Eructauit cor meum. *Pſal.* 64. *pag.* 128
Deus iudicium tuum. *Pſal.* 71. 140
Exaudiat te Dominus. *Pſal.* 19. 150
Domine in virtute tua. *Pſal.* 20. 156
Benedictus Dominus Deus. *Pſal.* 143. 162
Exurgat Deus. *Pſal.* 67. 170
Quàm dilecta tabernacula. *Pſal.* 83. 188
Quemadmodum deſiderat. *Pſal.* 41. 198
Qui regis Iſraël. *Pſal.* 79. 208
Super flumina Babylonis. *Pſal.* 136. 222
In conuertendo. *Pſal.* 125. 230
Domine probaſti me. *Pſal.* 138. 244
Dominus illuminatio mea. *Pſal.* 26. 254
Domine Dominus noſter. *Pſal.* 8. 264
Qui habitat. *Pſal.* 90. 272

INDEX IDYLLIORVM.

APes. *ex cap.*14.*Iudic.* *pag.*295
Elias. *ex cap.*18.*lib.*3.*Reg.* 300
Paſtor-Bonus. *ex lib* 1.*Reg.* 303
Bethle. *Ibidem.* 306
Galaditides. *ex cap.*11.*Iudic.* 309
Nuptiæ Ruth. 314
Salomo. *ex Cant.Cant.* 317
Iob. *ex lib.Iob.* 321
Somnium. *ex cap.*37.*Geneſ.* 324
Pax. *ex cap.*35.*lib.*2.*Paralip.* 327
Thiranthropia. *ex cap.*4.*Daniel.* 330
Vulpes. Capite nobis vulpes paruulas. *Cant. Cant.*2. 334
Nilus. *ex cap.* 2. *lib. Exod.* 339
Tobias. *ex lib. Tobiæ.* 343
Dauid Giganticida. *ex lib.*1.*Regum.* 346
Sulamitis. *ex Cap.*8.*Cant.Cant.* 349
IESVS-AMISSVS. *ex Luca cap.*2. 352
Cedar. *ex Iſaia cap.*42. 355
Arcus. *ex cap.*1.*lib.*2.*Regum.* 361
Zelotes. *ex cap.*5.*Iſaiæ.* 369
Carmina. *ex cap.*23.& 24.*Numer.* 377
Soter. *ex cap.*12.*Iſaiæ.* 389
Gratiæ. *ex cap.*23.*lib.*2.*Reg.* 395

Impri-

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Ricardius, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

REuerendi P. Franciſci Montmorencij è Soc. IESV Cantica & Idyllia ſacra, quibus in hac poſtremâ editione acceſſerunt Pſalmi XV. modis expreſſi Lyricis, digna cenſeo quæ recudantur.

P. Coens S. T. L. Canonicus & lib. Cenſ. Antuerp.

Summa Priuilegij Cæſarei.

FERDINANDI II. Diuinâ fauente clementiâ electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Diplomate cautum eſt; nequis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum ſuorum hereditariorum fines, Soc. IESV Patrum Opera citra conſenſum eorumdem Patrum & Auctorum deſuper obtentum imprimere, vel recudere, aut alibi recuſa inferre aut vendere præſumat. Qui ſecùs faxit, præter Librorum omnium confiſcationem, viginti marcharum auri puri pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in Diplomate dato Viennæ die IV. Auguſti, M. DC. XXVI.

Signat.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad mandatum Sac. Cæſ. Maieſtatis proprium.

Hermannus à Queſtenbergh.

Facultas R.P. Prouincialis.

EGO infraſcriptus Soc. IESV per Gallo-Belgicam Præpoſitus Prouincialis, concedo, vt iuxta Priuilegium Cæſareum Societati noſtræ conceſſum, ſoli Balthaſari Moreto Typographo Antuerpienſi imprimere & vendere liceat R.P. Franciſci Montmorencij è Soc. IESV Cantica & Idyllia ſacra, quibus in hac poſtremâ editione acceſſerunt Pſalmi XV. modis expreſſi Lyricis. In cuius rei fidem has manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi Inſulis XIII. Aprilis, M. DC. XXXVIII.

Franciſcus de la Croix.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *R. P. Franciſci Montmorencij è Societate* IESV *Cantica & Idyllia ſacra, quibus acceſſerunt Pſalmi XV. modis expreſſi Lyricis*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXVIII. Februarij, M. DC. XXXVIII.

Signat.

Steenhuyſe.